Estante .....
Plúteo .....

IHS

DE

SCHOLARUM INSTITUTIONE

P. JOSEPHI KLEUTGEN S. J.

DE

SCHOLARUM INSTITUTIONE

PRISTINA ET RECENTI

DISPUTATIO

ALMA COLLEGE
375
LIBRARY
K679
Alma, California

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, Via dicta « Cassette », 10

—

1889

27059

LECTORIBUS S.

Ex quo hic liber primum in Germania editus est, aliquantum tempus effluxit, ut mirum non sit, aliqua in hanc aetatem et maxime in exteras nationes *ad verbum* non prorsus convenire. Nihilominus visum mihi non est nisi minuta quaedam mutare : tanta enim P. Kleutgen auctoritas est, tam accurata eius disputatio, ut gratum facturus lectoribus non sim, si quid vel addiderim de meo vel de suo deminuerim. Veniam igitur dabunt, si qui philosophiam potissimum et theologiam (inter catholicos) melius iam tradi solere, quam hic describatur, persuasum habebunt, aut si qua non æque in omnes cadunt nationes, quae de Germanis verissime dicuntur ; sunt autem pleraque omni et aetati et populo egregie accommodata.

Latinus interpres,

G. Gietmann S. J.

DE

SCHOLARUM INSTITUTIONE

Acriter hodie in omnem partem disputant ac præter cetera inquirunt, quæ optima videatur esse *institutio scholarum*. Nam et quae res tradendae sint et qua ratione docendum, nunc non solum in ipsa arte educandi s. in paedagogica quaeritur, verum etiam in omnibus fere libellis, qui de rebus vel ecclesiasticis vel civilibus certis temporibus edi solent, disseritur, estque ea quaestio iam e senatibus academiarum in conventus publicos, qui nobilitatis populique nomine habentur, educta. Quod quidem laudabile dixeris, tanta esse vulgo studia eius rei, unde maxima bona humano generi derivari oporteat, sed item dolendum, iis dubitationibus nostram aetatem exagitari, quas pridem expediri a populis humanitatis studiosis oportuerit. Non enim de adiumento aliquo consuetudinis emendandae, sed de omni institutione scholarum stabilienda haec disputatio agitur. Apparet igitur in ea quaestione, quae ad bonum commune in

utramque partem vehementer pertineat, nondum ultra *prima initia* saeculum nostrum progressum esse. Viros autem formatos moribus ingeniisque cum et respublica et Ecclesia, ordines omnes conditionesque humanae societatis requirant atque flagitent, tamen fere centum iam annos apud nos ambigitur atque anquiritur, qua potissimum via, ut tales evadant, ducendi sint adulescentes.

Qua in re nescio quomodo factum est saepissime, ut vel aperte vel tecte de JESUITARUM ratione docendi iniiceretur mentio, ac pervulgata est etiam apud probos catholicos illa opinio : patres Societatis Jesu, cum sint honestissimi sacerdotes studiosissimique evangelii praecones, tamen adulescentiae informandae, ut in hoc saeculo, pares non esse. Quos *educandi* peritos non infitiantur — eadem est enim haec ars manetque perpetuo, — sed in *scholis* ratione docendi et ipsa doctrina uti obsoleta arbitrantur.

Hoc quidem mirum videri possit, cum ceteris in rebus partium diversarum opiniones hac ipsa aetate maxime disiunctae separataeque sint, in hac una studiosos rei catholicae patronos nonnullos similia dicere ac liberiorum pravarumque sententiarum defensores. Quamquam, id unde ortum sit, ex temporum, opinor, ratione licet cognoscere. Nam rerum publicarum eversiones, quae Societate Jesu via exstincta contigerunt, et quanta ubique ante iam facta esset ingeniorum morumque commutatio, demonstrarunt, et ipsae, ut omnium opinionum, etiam in populis civitatibusque nulla vi perturbatis, conversio maxima consequeretur, effecerunt.

Ex eo enim tempore in Gallia et Germania et aliis deinceps populis non modo reipublicae gerendae scientia, verum etiam theologia ac philosophia atque adeo artium institutiones communesque libri scholastici novam prorsus formam nactae et scholae omnes a puerorum ludis usque ad litterarum universitates variatae mutataeque sunt. Iam vero postquam saeculum fere in hujusmodi novitate sententiarum inventorumque explevimus, dum optima etiamnum desideramus : ecce tibi quasi revocati in scaenam novam ac numero in dies aucti conspici se volunt passim etiam JESUITAE. Nemo dubitat, quin et veste sint et animo veterum simillimi. Ita fit, ut actae aetatis notio cum illorum nomine consocietur. Redit igitur, quod sepultum rebantur, saeculum superius, pristina affert instituta atque cogitata, in oculos incurrit omnium et « post fata », inquit, « resurgo ». Quae vox eo sit iniuriosior, quo diutius plerique interitu illius vel gloriati sunt vel minime doluerunt. Atque rerum civilium perturbationem multoque etiam magis tot institutorum ecclesiasticorum excisionem dudum coeperunt deplorare, philosophiae impietatem exsecrati sunt, theologiae depravationem repudiantes ad integram Ecclesiae doctrinam redierunt. At persuasum habent tenentque, animi cultu litterarumque accuratione nos superioribus aetatibus longe praestare; id optimus quisque hodie quoque solet opinari. Quamquam id ipsum accendere videtur quaestionis propositae studium, cum non tam id agatur, Jesuitarumne scholae nostrae sint aetati consentaneae, sed *recentioresne pristinis* maiorum nostrorum

sint informandis ingeniis aptiores, faciliores, opportuniores.

Quam in rem dum pauca disputamus, nos quoque *communem* illam quaestionem tractantes Jesuitarum appellatione *saeculi superioris* consuetudinem designamus. Illorum enim scholae quoniam pridem et a catholicis et a magna parte protestantium existimatae sunt maxime praestantes, speciem quandam optimam prae se ferunt rationis pristinae instituendorum adulescentium.

I

DE GYMNASIIS LYCEISQUE GENERATIM

Imprimis qui finis sit proprius scholarum « litteratarum » s. « doctarum » — de his enim potissimum quaeritur — spectari oportet. Nihil autem gymnasiis lyceisque aliud propositum esse potest, nisi ut ad studia academiarum capessenda praeparentur atque ita instruantur formenturque animi, ut omnium ordinum eruditis communiter est consentaneum. Id ut efficiatur, nihil sit antiquius, quam ut studiorum imbuantur amore ac delectatione et ad strenue exercenda ingenia assuefiant. Deinde facultates omnes excitari colique debent, memoria amplificari, cogitatio et cieri et coerceri, iudicium et elici et corrigi, intellegentia exerceri atque exacui ; denique dum ita ipse informatur animus, instruatur oportet iis rebus, quibus opus est vel ad artes superiores addiscendas vel ad vitam iis ipsis ornandam vel omnino ad consuetudinem inter se politorum cohonestandam.

Quarum omnium rerum varietate ut formentur ac locupletentur ingenia, adiumenta semper habita sunt institutionis scholasticae praeclarissima studia *veterum linguarum et philosophiae et eloquentiae* omnisque elocutionis. Et recte quidem. Nam linguarum latinae et graecae tractatio cum sua sponte exerceat versetque ingenia et ad in-

dustriam atque assiduitatem fingat animos puerorum, tum hoc ipso tanquam cardine verti omnem litteratorum doctrinam constat. Philosophia autem ad exciendam commovendamque vim rationis valet, ad altiora spectanda attollit ingenia, postremo etiam quadam quasi substructione munit ceteras disciplinas. Quid vero eloquentia? Nonne ut percipiendis litteris atque doctrinis philosophia, ita iisdem ad vitae usum deducendis necessaria est exercitatio copiaque dicendi? Nam eloquentiam hoc loco intellegimus artem apte eloquendi ea, quae de quaque re mente excogitaveris. In qua non solum facultas quaedam quaeritur, sed vel imprimis *iudicium*. Quid in quaque re sit aptum, quid pulchrum, quid grande, id in historiis, orationibus, carminibus indagari oportet; quid de quaque re lecta existimandum iudicandumve sit, demonstrari; adulescentium indolem eorum exemplarium, in quibus explicandis versantur, imitatione erudiri ac perpoliri.

Sed hae tres disciplinae quamquam antiquitus habitae sunt praestantissimae, tamen iis comitari *historiam* usitatum fuit, nec est, cur ostendamus, quam varie haec quoque afficiat moveatque adulescentium animos quamque sit ceteris illis studiis finitima atque consentanea.

At vero aliae sunt litterae artesque, in quibus cum sit et vis ad excolenda ingenia permagna et doctrinae omnis subsidium peropportunum, tamen ipsae non ita sunt necessariae, ut in iis versari oporteat, *quotquot* litterarum sint studiosi. E quibus *mathematicam*, *physicam*, *astronomiam* semper soliti sunt aliqua ex parte scholarum

adiungere disciplinis, sed ita, ut aliunde ascita in gymnasia ac lycea viderentur, non iure quodam domestico ingressa. Atque haec, quae dixi, eadem fere illa sunt, quibus apud Graecos Romanosque liberalis institutio continebatur, christianis autem saeculis omnibus publica et communis praeparatio ad omne genus doctrinae circumscribebatur. Grammaticam, rhetoricam, dialecticam, quas prorsus necessarias existimabant, *trivii* appellatione designabant; ad plenam autem studiorum absolutionem requirebant etiam *quadrivium*, i. e. arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam.

Nunc qua ratione ipsae scholae fuerint institutae, paullo diligentius investigemus. Curriculum omne studiorum *octo vel novem annis* percurrebant; quod etsi, ut apud nos, totidem classibus certis terminis circumscriptis erat dispertitum, tamen in tria dividebatur spatia grammaticis, rhetoribus, philosophis assignata. Linguarum primordiis latinae et graecae annos *tres quattuorve*, oratoriae institutioni ac poeticae *duos*, philosophiae physicaeque *duos vel tres* dabant; priores igitur quinque vel sex annos gymnasium, ceteros lyceum sibi vindicabat. *Subsicivis horis* ea complectebantur, quae antiquitatis studio litterisque erant finitima : rerum, terrarum, fabularum descriptionem vel narrationem, ultroque fatemur, historiæ parum fere diligentiae esse adhibitum. Mathematicam a *gymnasiis* excludebant, solam arithmeticam, cum usus esse videbatur, admittebant. In *lyceis* praeter philosophiam physicamque morum praecepta et mathematica tradebantur.

Ita per tres quattuorve primos annos nulla in

re alia pueri occupari solebant nisi in studio linguarum. Cotidie et ante meridiem et post grammatica explicabatur, bis cotidie scriptor latinus, semel graecus lectitabatur, scribebatur item cotidie scriptaque communiter corrigebantur, postremo memoria cotidie varia exercitatione acuebatur. Spes autem ista ratione ostendebatur, fore ut intra annos quattuor alumni satis commode veterum scripta intellegerent. Nec vero sola memoria aut solo intellectu usuri erant post huiusmodi institutionem optime culto : pulchri quoque iudicium lectitandis veterum libris cieri necesse erat.

Cui perficiendo duorum quoque proximorum annorum studia adiumenta afferebant. Quibus annis pro grammatica dicendi ars cotidianis item matutinis vespertinisque scholis tradebatur. Et priore quidem de dictione generatim ac de facilioribus orationis carminumque generibus, altero de ipsa eloquentia gravioribusque carminum formis praecipiebatur. Quibus in studiis etsi sermonis utriusque ratio in explanandis scriptoribus latinis graecisque, quibus diligenter dare operam pergebant, non neglegebatur, illud tamen huic explanationi iam praecipue erat propositum, ut recte in *arte* iudicandi existimandique praecepta praeclaris antiquitatis operibus volvendis demonstrarentur. Scriptionum in his quoque scholis usus erat non hebdomadarius aut menstruus, sed et privatim domi et in schola communiter prorsus cotidianus. Quae in imitandis fere antiquis positae a narrationis descriptionisque brevitate ad orationis amplitudinem certis quibusdam gradibus perducebantur.

Nec satis habebant usitatiores adhibere memoriae stilique exercitationes, sed etiam singularia quaedam subsidia excogitarant, quibus in dicendo scribendoque iuvarentur adulescentuli. *Certamina* instituebant, quibus cum alicuius scholae alumni vel inter se ipsi vel superiore coetu spectante concertarent, et diligentiae et progressionis specimen dabant.

Huc accedebant illae *academiae* scholasticae, quo nomine consociationes quasdam appellabant praestantium puerorum, qui in circulis privatis dictionibus scriptionibusque variis operam navarent et vel carmina vel oratiunculas examinanda afferrent.

Quibus omnibus exercitationibus praeerat magister, qui regeret excitaret coerceret, atque identidem in anno ipsi parentes aliive litterarum amici invitati sollemnibus quibusdam consessibus aderant. Atque haec ut ad discipulorum diligentiam stimulandam alendamque erant peridonea, ita praeceptores desiderabant eos, qui se totos alumnis suis instituendis darent tempusque omne ac vires libentissime consecrarent. Illud quoque iisdem efficiebatur, ut esset, ubi magistri insigni ingenio pueros singulari industria iuvarent.

His igitur subsidiis, ipsorum naturae consentaneis, explicari indolem adulescentulorum et ingenium paullatim praeparari posse ad severiora studia gravioresque litteras veteres existimarunt. Ingredi enim illos in philosophorum palaestram volebant non nuda linguarum notitia imbutos, sed ea copia locupletatos, quam ex oratoriae artis et

poeticae studio atque tractatione redundare necesse esset, et ad eam instructos cogitandi dicendique facultatem, quam exercitationum usus varietasque peperissent.

Deinde in lyceis per tres aut minimum duos annos in severa philosophorum disciplina versaturi erant. Ubi praeter cetera ad logicam, physicam, metaphysicam incumbebant, nec, uti diximus, neglegebant mathematicam atque ethicam. Ne haec quidem institutio sola continebatur auditione scholarum, sed quadam exercitationum varietate perficiebatur. Cotidie magister summa capita scholae superioris interrogando repetebat; cotidiana imprimis scholas *disputatio* excipiebat, hebdomadaria item hebdomadis pensa amplectebatur, menstrua mensem, toto lyceo audiente, concludebat, denique annua anno, amplissima spectante corona, finem imponebat. Adde quod scriptionibus quoque vel latino vel patrio sermone confectis res pertractatae e scholarum umbraculis ad vitae usum videbantur transferri.

Iam vero *historiae* quod plusculum temporis hodie Jesuitae tribuunt in gymnasiis, in lyceis autem omnem illius amplitudinem separatis scholis persequuntur, demonstrarunt, opinor, non tardius se quam aequales profecisse. Attamen quod *mathematica* quoque quibusdam locis in gymnasio tradere coeperunt, id temporum forsitam necessitati recte tribuatur, re quidem ipsa hanc eiusmodi arbitramur esse mutationem, qua praecipua quaedam distribuendorum studiorum laus periclitetur.

Sed hæc necesse est accuratius explicemus;

faciemus autem ita, ut illi veterum rationi recentiorum consuetudinem conferamus. Sed quoniam hodie v.g. in Germaniae variis partibus nec raro etiam in eiusdem regionis scholarum institutis studia describuntur atque ordinantur *diversissime*, huiusmodi comparatio ut omnia complecteretur, esset impeditissima ; quamobrem unam istiusmodi descriptionem, qua in Borussia utuntur, comparabimus. Ubi florere sic humanitatis studia fama celebratum est, ut vicinae quoque civitates eandem laudem, translata scholarum ratione, cupide appetiverint; ibidem ea, quae contraria sunt veterum, vel dicam, Jesuitarum consuetudini, acerrime defenduntur atque usu constantissime tenentur. Ceterae autem civitates, quantum ab illis recesserunt, tantundem fere ad morem Borussicum appropinquarunt.

Ac primum quidem si omne instrumentum institutionis s. res ipsas tradendas spectamus, retentas videmus eas disciplinas, quas diximus, sed vel amplificata materia vel nova ascita pensum adulescentibus imperatum magno incremento auctum est. Etenim praeter veteres saltem gallicam, fortasse etiam anglicam et italicam addiscere linguas iubentur; pro geographiae notitia illa, quae moderato historiae studio opitulabatur, plena atque integra terrarum populorumque cognitio proposita est ; de ipsa historia agitur copiosissime; physicae botanicam, immo vero universam naturalem scientiam addiderunt et mathematica quoque latius patere voluerunt; postremo alia alibi additamenta adiunxerunt.

Sed *distingui* oportere iure nostro diximus,

quid scire ac nosse necesse esset adulescentes, ut ad altiora studia capessenda et ad honestum vitae cultum praepararentur, quid contra, quamvis magnam afferret utilitatem, tamen minus videretur necessarium. Iam vero sunt fines certi necessitatis, nulli utilitatis; ingeniorum enim cultus quibus tandem terminis circumscribitur? Quam in rem scite W. Menzel iis, qui materiem pueris tractandam sola utilitate metirentur, respondit: pulcherrimum sibi videri omnino atque optimum, filium etiam polonice et russice et persice et arabice scire. Quodsi non solis emolumentis scientiae iudicandum est, quibus rebus institui pueros oporteat, sed considerari debet illud quoque, quantum addiscere commode *possint*: nemo peritus facile negaverit, minime expedire maiora onera, quam olim portaverint, imponi humeris aut commendari industriae plurimorum. Annon illum plus quam mediocri esse ingenio necesse est et assiduitate maxima, qui octo annis aut novem — tot enim hodie quoque his scholis in Germania sunt attributi — non modo linguarum latinae et graecae notitiam sit comparaturus, sed etiam de optimis antiquitatis operibus recte existimaturus eorumque imitatione illud adepturus, ut variis dicendi generibus quadam facilitate utatur? qui dialectica non leviter exercitatus, metaphysicae atque ethicae gravissimis quaestionibus futurus sit imbutus? qui praeterea historiae, mathematicae, physicae scientiam, si non perfectam, at laudabilem sit habiturus? Ut sint quaedam ingenia etiam maiori muneri pensoque idonea, quae privata institutione vel moderatione iuvari nihil prohibet:

at *scholae publicae* plurimorum necessitati et facultati accommodandae sunt.

Atque haec ipsa multiplex rerum discendarum varietas illud etiam affert incommodi, ut necesse sit graviora *eloquentiae* ac *philosophiae* studia neglegi, quae quidem res tanto maiori fuit in scholis recentioribus detrimento, quo minus apte illa omnia et per annos sunt dispertita et suo quaeque tempore tradi saepe solent.

Est enim aequale fere tempus studiorum, sed rerum alia est dispositio ac distributio. Lyceum enim iam nullum est in Borussia; gymnasio, in quo ad academiam fit praeparatio, anni octo vel novem sunt attributi et huius classibus lycei disciplinae assignatae. Paucis enim physica et philosophia scholis delibatur tribus annis supremis, mathematica autem compluribus in hebdomade horis per sex fere annos continuos traditur. Eloquentia vero perdiu pulsa e scholis iacuit aut binis ternisve horis absolvi solita est. Ita illa divisio trium facultatum praecipuarum tota intercidit; *sola veterum scriptorum lectio* octo illos novemve annos sibi vindicare videtur, nisi quod mathematica et historia suum quendam obtinent locum ac serio examine requiruntur ab iis, qui e scholis abituri sunt. At philosophiae artibusque liberalibus tantum tribuitur temporis, quantum rebus omnino levioribus, geographiae inquam, naturali scientiae, gallicae linguae, aliis concessum est.

Sed gravior est haec eloquentiae et philosophiae neglectio acriorque omnis haec reprehensio, quam ut abstinere nobis uberiore aliqua expla-

natione liceat. Trita fuit ac paene cotidiana (illa aetate, qua nescio quam appetentes libertatem superioris saeculi mores modosque repudiabant) disputatio affirmantium, disciplina artium retardari ingenii evolantis impetum, nervos recidi, fructus floresque nascentes suffocari ; solutos omni lege animos adulescentium oportere excoli, artificiorum contemplatione ac perceptione locupletari, denique suapte vi atque natura ad ea imitanda incendi. Quamquam audiebantur tum ipsum voces nonnullorum praestigias istas recusantium, atque admonentium, discipulos minime omnes artificum pollere ingeniis, pro sua autem quemque facultate esse instituendum, ipsa vero illa praestantissima ingenia quasi freni indigere moderatione ac meditandi quadam sobrietate et duci debere prudentia aliorum artificum, ne semper acta agerentur et pristini errores iterarentur. At illorum non exaudiebantur voces : oratoria ars itemque poetica scholis exterminabantur et solis aestheticorum in academiis praeceptionibus attingebantur. Latius iam latinorum graecorumque scriptorum explanatio serpebat, eo consilio sine dubio suscepta ab initio, ut artis studium artificiorum consideratione feliciter commutaretur.

Quid evenit ? Ipsius consilii, quo optimos antiquitatis scriptores per saecula volutarant, sensim magistros cepit oblivio : non id iam agebatur, ut post grammaticam poeticam et eloquentiam docerent, sed ut quam amplissima linguarum litterarumque veterum notitia discipulos imbuerent. Paene ad philologorum rationem scriptores explicari solebant, et quasi id unum proposi-

tum esset, ut linguarum peritos informarent, grammaticorum subtilitates ad immensum auctae et pueri criticorum disquisitionibus exagitati sunt. Fuerint sane magistri nonnulli, qui saltem librorum sententias prudenter expendentes his ipsis animos mentesque adulescentulorum alere studerent; pauciores quidem certe fuerunt huiusmodi, fuitque et est nonnemo, ut id strictim attingam, qui per istam occasionem omnem animis religionem pietatemque eximat.

Sed (si quidem *iudicium* excolendum est) tum quoque lectionem veterum sua utilitate carere necesse est, *si* eam aliqui magistri studiosissime spectent. Frustra enim id sine *arte ac praeceptis* allaborent. Non sane ignoramus, naturae vi atque exercitatione sine arte posse ab omnibus aliqua, a quibusdam magna perfici, sola autem arte sine ingenio atque usu nihil profici; at iidem scimus et vetere praestantissimi cuiusque viri auctoritate nixi asseveramus, neminem recte informari atque institui, nisi his tribus, natura usu institutione, simul adiuvetur. Nam praeceptione iudicium acuitur pueri et sensus quidam obscurus atque vagus certa cognitione illustratur et ad sua alienaque recte aestimanda ducitur. Eadem ratione magistris norma subministratur ac regula, ad quam, quidquid in enarrandis veteribus et alumnorum laboribus emendandis notandum videatur, referant. Cuiusmodi moderatione artis ac notitia legum nisi dirigatur animus, necesse est evagari atque errare ; quodsi vi polleat nova inveniendi efficiendique, in periculum saltem adduci, ne grandia appetens ipso ardore naturae a via declinet.

Saepe memini affirmari, superiorum aetatum magistros artis rationibus abusos nescio quam tetricam disciplinam in scholas induxisse. Quam vituperari, sicubi viguit, sane aequum fuit. Quod autem multi tetricae molestaeque esse diligentiae putarunt artificia legibus diiudicari, quodque praecepta artis repudiantes ipsam scholarum institutionem docendique rationem passim ac graviter oppugnarunt : eodem errore, ut nobis quidem videtur, decepti sunt, quo illi, quicumque ad evertenda instituta more recepta et saeculorum usu comprobata caeco quodam impetu feruntur, propterea quod in eis nonnulla vel reliquerit vel attulerit humana infirmitas imperfecta. Quam illos sua fefellit opinio! Cum enim artis verae studio, quo se impelli gloriabantur, et veterum admiratione operum, quibus induci adulescentem in musarum quasi delubrum volebant, denique ingenii ac naturae observantia, ne quo vinculo impedita retardaretur, praecepta artis et doctrinam et disciplinam repudiassent, quo tandem devenerunt? Ad *grammaticorum ieiunitatem atque inopiam* redacti sunt. In vocabulis excutiendis plurimum collocatur temporis : quanta sit pulchritudo carminis, quae compositio orationis, vix leviter attenditur.

Quid quod etiam *exercitationes* tum scribendi tum dicendi in scholis hodie non paullo rariores sunt? Id nemo sane volebat, cum primum artis disciplinam vituperabant; neque enim quisquam affirmavit unquam, etiam sine exercitatione multa appositaquae informari ingenia posse. At in mentem non venerat, abiecta artis disciplina necesse

esse exercitationes quoque neglegi. Olim praeceptioni perpetua exercitatio adiungebatur, nec id fieri aliter poterat, quoniam ad rerum usum omnia accommodata erant. Praecepta explicata in scriptoribus, quos legebant, demonstrabant; quidni facerent? Eadem argumenta commentationum quoque aptissima maximeque varia afferebant. Atque haec ipsa causa est, cur hodie quoque, dum grammatica traditur, diligenter pueri exerceantur, illa ubi dimissa est, rarior sit nimisque genere uno contineatur usus commentandi. Principio una in hebdomade scribitur vel narratio vel epistula vel descriptio; post binis vel ternis vel etiam senis hebdomadibus de historia vel de vita ac moribus commentatio conficitur. Quid plura? Corriguntur etiam ad solam grammaticam aut notulis communibus vagisque breviter censentur. Illa autem exercitationum varietas, qua in scholis veterum ac nominatim Jesuitarum adulescentium et aemulatio stimulabatur et eloquendi usus alebatur, paene ipsis vestigiis deletis evanuit. Atque hic alia occurrit veterum et recentiorum scholarum differentia, de qua oportet videre diligentius.

Ad *eloquentiam*, cuius nulla fere in nostris gymnasiis ratio habetur, pridem omnis spectabat artium liberalium institutio. Etenim ipsi arti oratoriae saltem unus annus integer tribuebatur, quo et praecepta omnia et scribendi dicendique exercitationes ad id unum dirigebantur; atque ideo in superiore humanitatis curriculo omnia bene dicendi præcepta et singularum dictionum descriptio et exercitationes adiunctae ita tractabantur, ut essent rhetoricae artis quaedam praeparatio.

Cuius rei ratio consentanea est, quod et magnus adulescentium numerus in suo quisque vitae genere vel sacra vel civili eloquentia est usurus, et hoc ipsum per sese certissimum videtur informandis animis adiumentum. Etenim in oratione quapiam componenda ac perpolienda omnes coniuncte animi facultates oportet exerceri. Sic enim dicere oratorem volumus, ut modo historici imitetur perspicuitatem atque accurationem, modo philosophi vel theologi assequatur subtilitatem atque altitudinem, nec tamen et populariter et acriter et iucunde loqui desinat; poetae aemuletur ardorem necesse est nec tamen a naturae veritate discedat; sit copiosus idemque numerosus, sit acer et nervosus idemque varietate multiplex, atque haec omnia ipsa vox exprimat, gestus indicent, motus denique corporis adumbrent. Finis igitur esse omnis humanitatis merito eloquentia putabatur. Nam orationem quisquis et recte aestimare et imitari pro suis viribus prudenter noverit, eius sic erit informatus animus, ut sit ad cetera dicendi genera, quantum ipsius ferat indoles, commode instructus.

Tanta cum sit eloquentiae gravitas ac difficultas, numquam non etiam illud quaesitum est, meliusne esset *transcurso philosophiae curriculo* illi operam dare. Valuit autem omnium paene saeculorum consuetudo, ut sic, quemadmodum fieri in scholis solet, res ageretur, nec dubitamus, quin haec sit ratio una omnium optima. Ut enim infirmiora sint adulescentulorum ingenia, altioribus nondum culta disciplinis, quam ut maximarum orationum gravitatem omnem aut intellegendo assequantur, aut imitando exprimant: ad formam ipsam orato-

riam percipiendam atque aemulandam nulla est aetate illa prima florentique magis idonea. Habent enim viriditatem quandam eae animi facultates, quas ad illam fingi formarique oportet, estque docile ingenium atque paratum ad pulchritudinis speciem vel oculis intuendam vel manu imitandam. Accedit, quod nisi usu assiduo illa numquam assequare; sed ad exercitandi diligentiam grandior aetas nec prompta satis est nec apta. Adulescens autem qui orationis ornatae rationem perspexit atque hausit ad eamque conformare cogitata sensaque sua usu atque exercitatione didicit, is paucissimis inter reliqua studia dictionibus scriptionibusque tantum gravitate crescet dicendi, quanto litteris locupletior rerumque peritior evaserit. Ita qua arte leviora tractare assuevit, ea in maioribus, ubi ad ea enisus erit, felicius utetur.

Quodsi persuasum haberent, parum recte anticipatam a veteribus eloquentiam esse, non erat tamen haec causa idonea, cur omnino repudiaretur. Atqui e scholis nostris expulsam dixeris. Etenim si qua sunt gymnasia, in quibus dicendi præcepta paullo copiosius traduntur, in his ipsis oratoriae dictioni locus iam fere nullus est. Sic enim in libris recentioribus praecepta traduntur, ut priore parte de dicendi arte communiter, altera de generibus singulatim agatur, atque inter ceteras oratoriae quoque dictionis paucis paragraphis, quemadmodum narrationum ac descriptionum, sua fiat mentio. Quodsi etiam concedamus, huiusmodi divisionem non ab aliqua specie tantum ac formae similitudine fortuita, sed a propria rei operisque

natura derivari : illud num aut aequum aut consentaneum est, nos res ita putide partiri, ut aliam omnem rationem neglegamus? An in vitae quoque consuetudine orationis tam humilis est locus quam in huiusmodi librorum divisione? Meminisse oportebat profecto, quae res in rationis partitione atque ordine particula sit quaedam exigua, eandem usu atque efficacitate posse omnem vitae condicionem complecti atque pervadere.

Praelectiones sane quaedam in academiis separatim iis, qui oratoriae institutionis maxime indigent, theologis inquam, haberi consueverunt. An homileticae auditione id omne compensari censebimus, quod in puerorum institutione praetermissum sit ? Minime vero, non enim tam praeceptio rhetorica quamvis erudita requiritur, quam usus atque exercitatio multiplex et annorum labor atque industria desiderantur. Quid enim aliud differt inter artem et litteras, nisi quod hae intellectu perceptae memoriaque retentae possidentur, illa excolendo subigendoque ingenio, quemadmodum fruges agri cultu et aratione, operose comparantur? An, ut pingere discas, satis non est praeceptis imbui artis : ut orator evadas satis erit praecipientem de dicendi arte audire? Itaque multo etiam minus desideramus illas *reconditas* metaphysicae, psychologiae, aestheticae investigationes, quibus quaerunt, quae natura sit, qui sensus, quae imitatio pulchritudinis : *praecepta illa nuda* requirimus, quae ex artificiorum consideratione hausta flos quidam fructusque sunt superiorum omnium aetatum ; atque haec non modo e scholari demonstratione speciminum percipi, sed

suo labore a quoque in magnorum oratorum operibus deprehendi et ore stiloque exprimi volumus. Ad haec autem praecepta tamquam ad regulam quandam eum universam orationem omnesque eius partes dispertire, denique iisdem fere gradibus ad partes totumque opus imitandum accedere et in dies liberius progredi oportet. Atque haec est illa disciplina, quam e gymnasiis exturbatam querimur, in cuius sedem philologia et archaeologia et, paene dixi, omnis subsidiorum varietas successit.

Sane intellectum est a quibusdam, quae consequi ex huiusmodi institutione necesse esset, auditaeque sunt v. g. in Borussia publicae querelae, quod adulescentes e scholis egressi, quamvis multa didicissent, ea tamen ad vitae usum transferre nescirent ; mandatumque publice est, ut ars oratoria inter scholarum disciplinas reponeretur aptaeque adhiberentur exercitationes. At vero illud intellectum non est atque aegre concedetur, *omnem* gymnasiorum institutionem aliquo vitio laborare, ut iam ad eloquentiam informari adulescentes nullo modo possint.

Venio nunc ad *philosophiam*, cuius studium quod neglegi dixi, absonum quiddam fortasse dicere nonnullis visus sum. Proinde non studium, sed institutionem potius philosophiae neglegi dicamus ; id quod facilius erit ad demonstrandum. Atque in gymnasiis quidem quae invenitur psychologiae et logicae (et quibusdam in locis etiam metaphysicae) adumbratio, eam ne suo quidem nomine dignam esse, nemo, qui qualis sit intellegit, negaverit : fateri ipsi videntur, cum propaedeuti-

cam appellant. Quinam hanc prolusionem ludus, quae hanc primam exercitationem palaestra excipit ? Imperantur sane omnibus litterarum studiosis scholae academicae de logica deque metaphysica. At primum quidem tempus huic disciplinae paullo longius non attribuitur; olim enim duo anni philosophiae, quattuor theologiae erant assignati, nunc tribus omnia absolvuntur. Quae autem ipsa est adulescentium in academiis institutio? Scholam frequentant logicae unum aut summum duo semestria, item alteram scholam metaphysicae, versatur autem institutio in disceptando de quibusdam illarum disciplinarum quaestionibus. Ubinam illa diligentia gradatim imbuendi animos notitia et usu dialecticorum ? Ubi definiendi subtilitas ? Ubi summorum capitum repetitio, qua memoriae inculcentur ? Ubi totius studii suprema moderatio ? Ubi dictionum scriptionumque assiduitas ? Quae nec in gymnasiis reperias nec in academiis. Et erit credibile, tam paucarum scholarum auditionibus formari philosophos tales, quibus tanquam adductis humeris despicere, illudere, irridere liceat aetates superiores, cum quidem per duos annos integros vel etiam diutius omnibus philosophiae partibus diligentissime et instituerentur et exercitarentur? !

Mirabile est profecto, in aliqua civitate, quae se proprie vult esse philosophiae studiosam (Borussiam intellego), et ab iis, qui fidem a se et theologiam longe removerint, quo liberius evolare ad rationis regnum posse viderentur, quique nihil praeter intimam subtilemque scientiae investigationem loqui soleant, tanta affici philosophiam igno-

minia, ut ista ratione tam brevi tempore sit addiscenda ; quo quid omnium doctrinarum principi potest esse iniuriosius? Ac singulare est, quod in catholicis Germaniae civitatibus, cum alioqui Borussicam sequantur rationem studiorum, lyceum tamen mansit vigetque paullo severior pleniorque institutio philosophiae, et in ipsa Borussia scholae catholicae saltem annuum servarunt doctrinae philosophiae curriculum. An ut in aliis rebus nonnullis, sic in hac quoque contingit, ut protestantes magna verborum ambitione ea praedicent, quae vita usuque et neglegunt et perdunt? Qui ut Ecclesiae veterem traditamque a Patribus doctrinam liceret contemnere, Scripturae exaggerarunt auctoritatem ; atqui minime dubium est, quin pauciores iam inveniantur, qui in illa Dei verbum contineri persuasum habeant; nihil iidem aliquando praeter fidem loquebantur, at fidem inter suos perdiderunt ; sola pridem erat in ore gratia, quam nullam esse iam coeperunt existimare. Iidem porro philosophiam cum ad sidera sustulissent, acriter scholasticos increpuissent, quod illam theologiae famulam servamque esse voluissent, ipsi denique eandem ne viam quidem munire passi sunt ad theologiam iusseruntque tamquam desertam abiectamque in ceterarum omnium disciplinarum stadio pariter currere.

Iam vero ex his omnibus, quae adhuc de gymnasiis lyceisque disputavimus, illud consequitur (quod quidem tam inveterata confirmataque omnium persuasione, scholarum institutionem maximos habuisse processus, mirum vixque ferendum videtur), ut vetus studiorum ratio huc spectaverit :

quibus adiumentis superiores animi facultates excoli possent aptique effici adulescentes et ad litterarum tractationem et ad vitae usum — nuper autem, in Borussia potissimum, eo sit studium omne collatum scholarumque labores directi, ut quam maxima plurimarum rerum scientia esset : illi *fingendis formandisque* ingeniis studuerint, nos multiplici *eruditionis varietati* operam navemus. Quod etiamsi ultro damus, grammaticorum et mathematicorum, historiae et physicae multo esse ampliorem, quam olim, institutionem, illa occurrit gravissima dubitatio, tantine sit istud scientiae incrementum, quanti artium tractatio atque usurpatio et philosophiae doctrina vera atque solida? Annon periculum est, ne diligentissimum quemque alumnum non tam ad doctrinam solidam informatum, quam immature inaniterque eruditum e scholis dimittamus ?

Quae eo forsitan durius et iniuriosius dicere videamur, quo constantius hodie ingeniorum laudant formationem quoque studiosius dant operam, ut tenelli pueri ad cogitandum instruantur. Nimirum hanc ipsam summam scholis nostris laudem defetunt, quod, cum Iesuitae memoriam unam operose exercuerint, nostri doctores ingenia fingant. At vero ea, quae de philosophiae studiis ante disseruimus, animo recolenti permiram videri necesse est illam criminationem, intellegendi vim excultam non esse in scholis veterum. — Attamen ante philosophiae cursum intellegentia non excolebatur. — Nihilne aliud est praeter cogitandi subtilitates, ubi ingenii aciem intendere pueri addiscant ? Ipsa grammatica, adiunctis iis, quas diximus, exerci-

tationibus, imprimis vero litterarum artiumque studium mentem non exacuebat ? Gallus est homo quidam doctus (Geoffroy, Spectateur franç. au XIX^e s. T. VI. p. 216), qui item ad intellegendum potissimum intellectaque exprimenda instruendos formandosque esse pueros in gymnasiis existimet ; sed idem, quod ad subtiliter cogitandum immaturi sint frustraque (an frustra tantum ?) operam impendant, quamcumque insumant, idcirco « Tale studium, inquit, reperiendum fuit quod tenerae aetati consentaneum esset. Explicantur eis imperanturque ad interpretandum eorum virorum libri, qui quoque tempore rectissime simplicissimeque sunt ratiocinati. Quod quidem sine dubio optimum est recte cogitandi scribendique adiumentum. Posteaquam enim pueri cogitatis alienis animos locupletarint diuque elaborarint, ut eadem variata aliis linguis exprimant, et patriam linguam cum illis, quibus pulcherrimis adhuc usi sunt mortales, compararint : tum et cogitare et ratiocinari et concludere et scribere didicerint. »

Occurrit autem hoc loco gravius quidpiam. Acumen ingenii in scholis quaeritur : at non id solum intenditur. Nam omnes animi facultates excoli oportet ac plurimum refert, ea ipsa in re *naturam* tamquam ducem sequi. Habent enim cum cetera tum educatio sua tempora propria. Neque in stirpibus neglegendum est, quo quamque anni tempore cures, neque in educandis adulescentibus, qua aetate in quaque parte doctrinae erudiantur. Naturae igitur leges ab educatore observandae sunt ; nisi forte hic illius videtur dominus ac magister esse. Iam vero nemo est

qui nesciat, memoriam in tenera aetate exerceri oportere, quia tum et facilius amplificatur et libentius colitur, praestantioribus animi viribus etiamnum quasi sopitis. Ac maturius in pueris pulchri sensus, fingendi ardor, iudicandi usus elicitur, quam sublimior illa, quae mathematica ac philosophia gignitur, rerum cognitio. Porro ne illud quidem praetermitti ullo modo licet, quoniam omnia sunt a natura sapienter instituta, et animi et corporis vires pariter crescere. Immatura igitur optimarum animi facultatum intentio ut ingenii semina non pauca nec contemnenda opprimit, ita corporis etiam naturale incrementum impedit. Quamobrem illa veterum scholarum ratio sua cuique studio certa tempora attribuendi, cum primum linguarum notitia, deinde eloquentia, denique philosophia addiscenda proponeretur, non modo solidis litterarum processibus, verum etiam animorum corporumque valetudini multo fuit accommodatior.

Atqui hodie ista omnia longe aliter sunt instituta. Pulchri enim sensus ac iudicium neglegitur, memoriae exercitatio contemnitur, cum tamen sit omnis scientiae condicio ; at dum mathematicis imbuitur aetas tenerrima, laboriosissime cogitandi quaeritur subtilitas, libri omnes scholarum, ipsa etiam linguae patriae grammatica, obscurarum ac saepe metaphysicarum plena est formularum, magistri autem elaborare solent, ut pueros suis uti ingeniis doceant matureque sic instruant, ut doctori librove cuipiam se committere ignominiosissimum iudicent, nisi ipsi, quidquid traditum sit, penitus perspectum habeant possintque

demonstrare. Isto modo factum est, ut iam criticos formare institutores omnes velle videantur. Credere ne pueros quidem sinunt, donec, quid credendum sit, demonstrare ipsi possint, atque ut grammaticae studiosum vetant praeceptum ullum ediscere nisi e communibus linguae rationibus haustum ac perspectum, ita ab eo qui catechismo primum imbuitur, ea sola memoriae mandari iubent, quae e religionis christianae quasi fonte derivare noverit. Ridiculum diceres quorundam istius modi institutionis studium, nisi tam funesta consequerentur. Catholici autem theologi, si qui ab ista ratione novum nescio quem florem nostrae aetati allatum iri sperant, alios audiant iure affirmantes : tradita ac praecepta disci ab adulescentibus oportere, aut addubitare omnia, non di iudicare paratos fore.

Dici enim non potest, quantum detrimentum immatura solius intellegentiae contentio afferat non fidei modo ac moribus, verum etiam ingeniis veraeque doctrinae. Cui profecto nihil tam adversatur, quam arrogantia et omnia dubitandi libido, quas pestes illa gignit ratio instituendi. Annon pueros, quidquid vel viderint vel audierint, suis metiri opinionibus assuefaciunt, nec id libri magis, quam ipsi etiam magistri docent ? Quae iudicandi arrogantia non minuitur, sed potius augetur eo, quod plurimi, institutione suae aetati non consentanea deterriti, studio desistunt; etenim crescit pro ignorantia arrogantia in iis, qui litteris operam dederunt. Ii autem qui serio et constanter ad subtilem institutionem percipiendam teneras applicaverunt mentes, ambigere ac dubitare omnia

incipiunt nec raro sic, ut dolendum sit, suos ipsi perturbant animos. Utinam igitur, usquedum maturuerint adulesentulorum et corpora et mentes, ea simus contenti exercitatione intellegentiae, quam coniunctam esse studio litterarum atque historiae necesse est ! Utinam postquam adultam ingressi sunt aetatem, non praelectionibus, sed vera institutione atque exercitatione, serio atque assidue, ingenia ad philosophiae doctrinam informemus !

Quamquam scholae recentiores a veteribus non minus ipsa *philosophandi* ratione, quam philosophiae tradendae consuetudine discrepant ; qua de re atque omnino de veteris et recentioris philophiae differentia quoniam ad theologiam vehementer pertinet, infra dicemus uberius.

II

DE DISCIPLINARUM DOCTORIBUS.

Partiendae inter magistros institutionis modi sunt duo : aut enim disciplinae singulae singulis attribuuntur, qui quidem *disciplinarum* appellantur doctores, aut classes singulae singulis committuntur, quos *classium* doctores vocant. Illi eadem in compluribus scholis tradunt, hi in sua quisque schola de rebus compluribus instituunt. Olim illa ratione non utebantur nisi in lyceis atque academiis ; nuper ea coepta est, partim quidem, in gymnasia introduci; partim, inquam, quia divisis in plures classes discipulis, id quod in disciplinis omnibus paullo gravioribus fieri necesse est, ne nunc quidem evitari potest, quominus aliquot magistri de partibus disparatis praecipiant. Quamquam ab altera ratione sic abhorrent, ut nonnumquam praeceptores de rebus variis variis in scholis doceant, ut v. c. idem magister in altera schola latinos scriptores, in altera graecos explicet, in tertia historiam tradat. Contra Jesuitae tanti faciebant classium institutionem, ut non modo suum cuiusque classis magistrum esse vellent, sed eundem fere suos per quattuor vel quinque classes inferiores ducere. Iam quaeritur, utrum classium an disciplinarum institutio ad id, quod gymnasiis propositum est, magis sit accommodata.

Institutionis in gymnasiis omnium communis qui finis esse videretur, adhuc consideravimus; *educationis* qui sit, nunc item attendendum est. Principio dubitare non licet, quin hanc adhiberi quam aptissime oporteat. Quemadmodum enim ingenia, ita mores adulescentium diligentissime formari debent, si quidem et in curriculo academico et in omni posterioris vitae actione honestatis pietatisque praecepta servanda sunt. Tantoque id fieri studiosius oportet in gymnasiis, quanto gravius teneri adumni, tamquam arborum stirpes, curae indigent ac provisionis, quantoque eorum, qui e pueris inter adulescentes transeunt, aetas et periculosior est et eadam plus valet ad vitae cursum posteriorem dirigendum. Quamobrem vehementer dolendim sit, si hanc muneris sui partem adulescentium magistri parvi aestiment; multo autem funestius, si publici scholarum moderatores non molestè ferant, eorum mores neglegi, quorum ingenia litteris informantur. An Quintilianus (Inst. orat. I, 1. 8; II, 2; XII, 1. 2) aliique gentiles severe monuerunt, ne sic adulescentes erudirentur atque instruerentur, ut morum innocentia et pietas ac religio detrimentum caperent: nos christiani tantillum dubitabimus, quin eam studiorum rationem repudiemus, quae, si ingeniorum cultui omnium utilissima esset, tamen virtutis pietatisque institutionem impediret?

At fecit divina providentia, ne alteri alterum, nisi rarissime, officeret, disposuitque ita, ut ea, quae morum postulat formatio, institutionem aetati congruam eandemque solidam alumnorum non impedirent, sed adiuvarent. Quod idem

cerni licet, opinor, in iis docendi rationibus, de quibus hoc loco quaeritur. Prorsus enim mihi persuadeo, non minora, ut modeste dicam, subsidia fingendis ingeniis afferre classium institutionem, quam disciplinarum, sed illam bonae educationi solam esse satis accommodatam.

Atque ut de educatione dicere ordiar, ei, qui mores formaturus est discipulorum, perspectum esse oportet, qua sint natura atque indole, quibus studiis atque cupiditatibus, qua boni aut mali consuetudine, quibus ingeniis, ac praeter cetera, e quibus fontibus motus vehementiores animique perturbationes proficiscantur. Quae omnia unde tandem, nisi e diuturna vitae communione, percipias? Etenim ex actionibus singulis ita demum de probitate aut improbitate iudicium facere licet, si reliquam agendi consuetudinem illorum comparaveris; nec animorum qui sit habitus, intellexeris, nisi illos in omni rerum condicionisque varietate ac praecipue in multiplici scholarum diversitate versantes observaveris.

Quodsi cognoverit magister, quid mali impugnari a se, quid boni oporteat coli, iisdem illis occasionibus maxime variis utetur, ut id quod volet assequatur. Modo enim sapienter dicta in scriptoribus, quos explicat, modo honeste cogitata, modo tenere sensa, modo pulchre descripta vel insigniter facta oblata ei erunt, quibus vel admonitionem vel documentum aliquod adiungat; tanto autem libentius, si quod dabit consilium, si quid vel adhortabitur vel dissuadebit, a suis audietur, quanto minus ea omnia videbuntur quaesita et arcessita esse. Eo quoque ipse uti poterit

modo agendi, quo illis plus possit prodesse: scholae exercitationes, ceteras occupationes, examina, certamina, praemia, laudem, vituperationem sic moderabitur, ut illi ad honestatem proficiant discantque ex iisdem rebus, quibus ingeniorum institutio perficitur, morum utilitatem, saepe non animadvertentes, percipere. Quisquis autem discipulos singulas horas aut summum aliquando binas apud se observaverit, is nec qua sint indole et consuetudine, perspectum habebit nec eiusmodi notitia uti ad mores formandos poterit, praesertim cum non eam familiaritatem cum iis initurus sit, sine qua nec ullius nec tenerae aetatis recta atque commoda esse educatio possit.

Etenim pueri, in quibus ratio minus valet, atque adeo adulescentes, in quibus nondum viget perfecte, non tam rerum praeceptarum auctoritate, quam magistrorum observantia et amore et pietate ducuntur. Ad hos tamquam ad patres quosdam vel duces prudentes vel amicos aetate maiores se applicent oportet, horum voci, approbationi, reprehensioni plus tribuant, quam poenis aut praemiis, solaque recordatio eorum, quibus displicere nolint, pudorem afferat mali quidquam admittendi. Ac ne quis haec a nobis severius postulari arbitretur : testantur et vitae nonnullae et ipsi fatentes audivimus complures Jesuitarum alumnos, sibi adulta etiam aetate solam memoriam eius, a quo pueri instituti essent, ad virtutis amorem tentationumque victoriam profuisse. In Galliae quadam urbe vinctus ob scelus admissum nobilis homo detinebatur, qui capitis iam damnatus ne aeternitatis quidem consideratione com-

movebatur, ut poenitendo Dei gratiam requireret. Contigit, ut per eam urbem missionarius quispiam, gravis annis ac laboribus apostolicis, iter faciens rogaretur, ad miserrimum illum hominem Ecclesiae ministros omnes repudiantem accederet. Quo vix carcerem ingresso idem ille, qui maxime obstinato offirmatoque fuisset animo, trèmens gemensque humi se abiecit. In disciplina enim eius pridem fuerat. Narravit autem haec quoque : « Paululo anteiacebam, inquit, in crepidine istius foraminis carceris mei, ad quod eo consilio enisus eram, ut de altissima turri me praecipitans vitam finirem; at repente tua mihi imago occurrit, de Deo recordatus sum, aeternitatem prospexi ».

Ipsum Quintilianum videmus hortantem magistros, ut patrum numero sint discipulis; quem locum totum exscribi non sit alienum.« Cum ad eas in studiis vires, « inquit II 2, », pervenerit puer, ut, quae prima esse praecepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus eius artis magistris est. Quorum imprimis inspici mores oportebit. Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in ceteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, sicut testatus sum in libro priore, sed quod magis necessariam eius rei memoriam facit aetas ipsa discentium. Nam et adulti fere pueri ad hos praeceptores transferuntur et apud eos iuvenes etiam facti perseverant : ideoque maior adhibenda tum cura est, ut et teneriores annos ab iniuria sanctitas docentis custodiat et ferociores a licentia gravitas deterreat. Neque vero satis est summam praestare abstinentiam, nisi di-

sciplinae severitate convenientium quoque ad se mores adstrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi traduntur, existimet. Ipse nec habeat vitia nec ferat ». Quam autem tenera istiusmodi necessitudo est, tam eadem est fructuosa; quae aut nunquam aut raro exsistit, si scholarum tempora inter plures praeceptores divisa sunt. Sane fit aliquando, ut quidam ad eum magistrum, qui ipsorum ingeniis ac sensibus magis congruat, se applicent; sed et multae sunt causae, cur ea familiaritas saepissime longe absit ab illa utilissima necessitudine, et maior discipulorum numerus ad nullum propius accedit praeceptorem.

Etenim ipsa magistrorum multitudine personarumque varietate efficitur, ut distrahantur in contrarias partes animi puerorum et causa afferatur levitati, sic unius magistri dictis factisque utendi, ut alterius spernere liceat. Quodsi contingat, ut omnes magistri honestissimi sint viri nec de sacris divinisque rebus diversa opinentur : tamen eos eisdem uti educandi instituendique rationibus sperare non licet, aut saltem agendi cum discipulis pro ingeniorum varietate varium etiam esse modum necesse est. Ita qui singuli poterant non exiguam utilitatem afferre, ii iam impediunt inter se atque officiunt, ut, quod sit ab altero exstructum, id saepe alter non animadvertens destruat. Quamquam maius est atque gravius, quod ipsi id habent causae magistri, cur *animorum morumque culturam omnem sui esse muneris non iam existiment.* Qui enim noverit una hora post in alterius manus

traditum iri discipulum alia ratione tractandum habeatque persuasum, sibi nequaquam licere in omnem partem versare, dirigere, fingere ingenium mores que illius, is qua tandem re moveatur, ut se speret eum educare posse? Qui si erit magna virtute et caritate, multis omnino utetur temporibus; cum ad formandos adulescentulorum carissimorum animos aliquid possit conferre ; at plerosque non alias quam cum eos in schola docebit, aut alloquetur aut adiuvabit. Curabit diligenter, ut, dum instituantur, quietem conservent et ordinem, passim sapienter dicto adhortabitur : ecquid est ultra, quod praestare liceat? Nonne praefecti vel directoris est, si quid extra scholam peccatum sit, punire? Quis autem *emendabit et corriget* vitiosa? Quis periclitantibus benigna sollicitudine succurret et aderit? Quis occurret peccatis, aliquando etiam pœnis peccatorum? Quodsi animadvertendum erit in quempiam, quis, ut salutaris sit animadversio, pro officio videbit? Erunt fortasse aliqui tanta diligentia doctores : at plurimis ipsa disciplinarum partitio suadebit, ut omni se officio functos arbitrentur, si scholas suas ita ut oporteat habuerint.

Atqui illa morum, quam diximus, cultura ad sextum vel septimum decimum aetatis annum prorsus est pueris necessaria ; quae ubi defecerit, praeter ea pericula, quae pueritiae communia sunt, alia et ex ipso litterarum studio et e gentilium scriptorum lectione nascentur. Praeterea si nulla sine religione ac pietate vera educatio est, hinc rursum licet intellegi, fieri non posse, quin ex disciplinarum partitione detrimentum educatio

capiat ; nam religiosa educatio dispertitis institutionis partibus constare nullo modo potest. De qua re P. Drach S. J. audiamus, qui cum esset collegii Friburgensis in Helvetia rector, ad eius urbis consilium publicum educationi praepositum hunc de quibusdam emendandae institutionis postulatis commentariolum detulit a. 1833, quem postea aliquot eiusdem generis scriptis auctum typisque impressum sic inscripsit : Les Jésuites du collège St.-Michel à Fribourg en Suisse. Lausanne. Imprimerie de St. Delisle 1834. Quo in libello ita illa de re disserit :

« Quoniam eos alloquimur, qui aeque ac nos ipsi, pietate ac religione niti omnem et educationem et institutionem volunt, significare liceat, qui sit locus doctrinae christianae in illa dispertitione studiorum quantumque ei periculum creetur.

« Utile esse literis artibusque liberalibus instrui adulescentes nemo negat ; at necesse est imprimis eos ad virtutem honestatemque omnem formari, bonos effici et filios et cives, denique aptos evadere, qui familiarum paci ac felicitati et patriae saluti atque gloriae deserviant. Atqui *legis christianae* et finis et potestas est eiusmodi virtutes conferendi et recte comparatum hominem Christi quoque praeceptis imbuendi atque ita fingendi, ut et intellegens sit et beatus. Namque haec alumnos in Dei collocat praesentia, illius nomine iubet dicto audientes diligentesque esse, docet his ipsis rebus bene mereri, cum id, quod Dei iussu causaque fiat, ab eodem suum sit habiturum praemium : ita et laborum lenit molestiam et officii expleti delectatione ad laborandum invitat. Haec

vigilat, cum magistri non possunt oculi, haec negligentiae occurrit ac desidiae ; haec, qui sit cuiusque notitiae usus honestus, ostendit, quae origo prima, demonstrat, qui finis ultimus, significat ; haec et virtuti consecrat et docilitate imbuit et progressum praestat studiorum. Quae cum ita sint, christiana doctrina primum occupet locum in scholis oportet.

« At ea instituendi ratione, quam impugnamus, efficitur, ut partes agat secundarias et inferiores, non aliter atque vel arithmetica vel geometria vel aliquod additamentum. Fierine potest, ut non sit minore dignitate apud adulescentes, utpote qui alia omnia natura appetant cupidius, quam eam doctrinam, quae iugum imponit minime suave ? Qua haec auctoritate moveat animos mentesque eorum, quibus sua sponte iniucunda sit nec honore praecipuo commendetur? Atque hoc primum detrimentum pietati illa scholarum descriptio affert.

« Esto, eum occupet locum institutio legis christianae, quem decet, adulescentes autem magistri ad id constituti diligentia adducantur, ut fidei illud rationabile obsequium praestent memoriaque teneant doctrinam omnem divinitus patefactam : nihilominus multum abest, ut illud sit perfectum, quod intenditur. Instituendo enim etsi intellegentiae lumen affertur, tamen fervor ardorque non additur animo ; at huc potissimum aut omnis aut praecipua cura spectat praeceptoris. Animos impellat oportet, ut discipuli, quae vera esse cognoverint, eadem diligant et magni faciant et vitae usu sequantur : aut eruditos doctrina, non

praestantes virtute formaveris, quorum ingenia disputatio attigerit et argumentatio et curiositas fortasse satis profana, non animos imbuerit illa religio, quae cupiditatibus adversetur ac resistat, virtuti serviat tribuatque victoriam : at haec victoria non paritur, nisi pietatis consuetudine, ad quam institutio vitae christianae consentanea morumque formatio praeparat. Quodsi ita sunt scholae distributae, ut sacrae doctrinae magister bis terve in hebdomade se offerat oculis discipulorum, is nihil faciet nisi docebit, quae credenda, praecipiet, quae facienda sint. Consequens erit ac necessitate quadam adiunctum, ut e scholarum umbraculis in pulverem ac solem emittantur ii, qui intellectu memoriaque, non pectore ac voluntate Christi doctrinam hauserint. An id non est perinde ac si naviculam sine magistro et remigio in medias tempestates propellas?

« Sin unus est magister, legis christianæ doctrina non modo princeps habetur omnium disciplinarum, sed universam institutionem scholarem pervadit afficitque : nulli est enim disciplinae aliena, linguis omnibus loquitur, nullo loco alumnis non occurrit. Totus enim christianae doctrinae ambitus omnes complectitur classes ; historia sacra et ecclesiastica exempla addit praeceptis ; exhortationes sabbatinae utraque transferunt ad vitae usum, animos incendunt inflammantque, ad vivendum christiane impellunt adulescentes, magni aestimare ac diligere Dei cultum legesque sacras docent. Quae subsidia si constanter usurpantur, dogmata religiosa in animos pectoraque demissa eam gignunt sententiarum firmitatem, ut

vitia atque cupiditates honestate atque voluntate superentur. Ita quasi sedem ac domicilium in animis ad omnem vitae perpetuitatem pietas ponit, haeret residitque in mentibus tum quoque, cum aestu libidinis studiisque mundanis oppressa esse videtur, peccantem identidem tamquam gemitibus lamentisque quibusdam excitat atque ad honestatem reducit ».

Atque ob quas causas educatio, religiosa potissimum, illa scholarum inter plures distributione impeditur, ob easdem *disciplinae* quoque severitas vel tollitur vel saltem enervatur. Nam quietem, ordinem, urbanitatem ut serves, aequabili utendum severitate et ipsius auctoritas magistri interponenda est. Iam vero demonstravimus, cur studiorum dispertitio, quae nullam sineret esse instituendi aequabilitatem, auctoritatem quoque minueret magistrorum.

Deinde ut salutaris sit ad mores fingendos disciplina, vel potius ut ne sit perniciosa, paterna sit oportet, non militaris. Itaque pro ingenii proprietate cuiusque, pro varietate periculorum ac vitiorum, pro virtutibus bonisque studiis, maxime vero pro temporibus atque affectionibus modo temperanda, modo astringenda ac saepe varianda est. Ipsis pueris persuasum esse debet, a paterna caritate providentiaque severitatem omnem proficisci; cui ut eo se animo subdant, quo possint fieri meliores, pietate debent esse observantissima. In hujusmodi causis potissimum, quas rector ipse scholarum diiudicandas susceperit, magistri est, animos discipulorum parare, ac providere, ne, quod publicum bonum postulat, id singulis evadat perniciosum. Quod

ut ille praestet, non modo cognoscat oportet penitus, qualis quisque sit, sed etiam intima familiaritate, ut diximus, sit cuique coniunctus. Sequitur ut necesse sit eundem esse et litterarum et morum magistrum alumnosque ab ipso rite imbutos doctrina religiosa duci ac dirigi.

Quamquam minoris momenti esse forsitan aliquis dixerit ea, quae spectent ad disciplinam. Quae in plurimis gymnasiis hodie ob eas difficultates, quas parit varietas magistrorum, paullatim labefactata a multis etiam prorsus negligitur. Itaque non alienum esse existimamus, quantum in ea momentum sit, explicare, idque faciemus eo libentius, quod hac quoque re gravissima scholae veteres differunt a recentioribus.

Nam olim summi aestimabant lateque patere disciplinam volebant, qua non solum scholae ordo, labores omnes atque exercitationes, sed etiam cultus divini pietatisque operum tempora, tenor, modus definiretur, studia domestica praescriberentur, honestas tum privata tum publica atque urbanitas conservarentur imprimisque pericula morum ab adulescentulis prohiberentur. Leges erant severae, quibus quisque condicionibus vel reciperetur vel dimitteretur; non, quas libitum esset, eas habitare domos aut frequentare licebat; de congressibus, convictu, familiaritate ac praeter cetera de librorum lectione cautiones erant et praecepta; inhonestas ludendi bibendique occasiones esse non sinebant, neque permittebant nisi gravioribus de causis, ut noctu domo egrederentur adulescentes aut ab urbe longius quam ambulandi ferret consuetudo proficiscerentur.

Iam vero adversus hujusmodi severitatem, ut aliis multis in rebus, libertatis rationem valere dudum voluerunt. Negant veram honestatem, quae domicilium in animis habeat, sine corporum libertate aut nasci posse aut consistere ; a disciplina simulationem atque assentationem gigni in quibusdam, in aliis humilitatem atque abiectionem, eosdemque, ubi onus ac iugum excusserint, licentiae et cupiditatibus frena astricta laxaturos esse. Quo argumento si illud probari velis, moderatam esse oportere disciplinam ac vigilantiam, suumque spatium aliquod, in quo liberius decurrat adulescentia, relinquendum esse, non sit, quod dissentiamus, multoque etiam minus, si disciplinae repagula *sine* animi morumque moderatione inutilia dixeris. Sed usu docti scimus, in eodem errore et haec versari et illam ostentationem ingenuae animorum libertatis, qua tot tamque salutaria instituta a protestantibus eversa sunt.

Nam horum propria est illa *Ecclesiae* criminatio, quod iugum imponat evangelii libertate et divina adoptione sublatum ; propria illa reprehensio, quod caerimoniis institutisque privata animorum cum Deo commercia impediat. Quo huiusmodi opinionibus devenimus ? Plerique dictitantes se in spiritu adorare Deum, non coluntomnino, negantesque lege praescribi christianis bona opera debere, ea missa facere consueverunt. At quaeratur gens aliqua, in qua vigeat disciplina ecclesiastica : reperiet, quisquis diligenter inquisierit, eosdem fere, qui Ecclesiae consuetudinem magni faciant atque ipsi sequantur, vera animorum pietate insignes, et quo quisque sit legum decreto-

rumque observantior, eo eundem ad bona opera ultro suscipienda promptiorem esse. Nam idcirco Ecclesia ad disciplinam insistit, ad leges, ad consuetudines, quod, qualis sit natura humana, compertum habet. Ut enim animos a sensibus aptos rebus iuvat aspectabilibus, ita inconstantiae quoque ac desidiae occurrit legibus. Atque iisdem rationibus de scholastica disciplina existimari oportet.

Qua *sola* adulescentes ad honestatem virtutemque informari minime dicimus; at erit eadem educationem comitata adiumento et confirmationi. Et primum quidem ipsam scholam sic ornat, ut religione ac pietate, honestate ac dignitate, urbanitate et diligentia et ordine tota regi videatur; qua pulcherrima specie admonet de officio alumnos; levitatem quoque coercet occurritque licentiae. Cetera morum praecepta in schola forisque sibi temperare docent adulescentes vel pericula ab iis vitiorumque pestes prohibent.

Iam vero videamus, utrum id honeste atque sine simulatione an servilem in modum praestetur. Verum hoc quidem est, plerumque legi obtemperare pueros, quod id aliter esse posse ne cogitant quidem. At primum fit minime raro, ut tenera illa aetas, religiose educata, ipsius oboedientiae pietatisque virtute praeclare utatur. Quodsi obtemperet plerumque nihil cogitans, aut etiam invita : nihilominus ordine, diligentia, honestate assuescit et a flagitio, a quo longe abest, defenditur. Sensim autem experiuntur ipsi, quam dulce sit tantum a se impetrare, ut officio non desint. Sed et illa consuetudine, perquam salutari, et magis etiam hac dulcedine ac delectatione indu-

cuntur, ut praeceptorum quasi iugum ferant modestius. Denique adulescentes ubi, quo tendat lex, suspicari atque intellegere coeperunt, sua sponte moventur, ut id praestent libentes, quod adhuc non satis intellegentes iussu fecerunt alieno. Magistrorum praecipue beneficio fit, ut non, cupiditatis ac libidinis aestu iam surgescente et consuetudine vitiisque inveteratis, tanto acriori atque periculosiori pugnae, ubi primum rationis facti sunt compotes, obiiciantur.

Ceterum huic ipsi aetati adultiori plus tribui libertatis maxime volunt, nec animadvertunt, quam pugnantia loquantur. Eximi igitur iubent adulescentes disciplinae severitate, ut suopte studio ad virtutem enitantur : tantamne in eis vim esse putant honestatis ? Incredibile ; sed audiamus. Legibus negant eos, quamvis id et ratio et religio persuadeant, obtemperare nisi *ficte aut serviliter :* tantane esse eos nunc morum pravitate dicemus? Immo si verum quaerimus : adulescentes in *pugna* versantur ancipiti, cum bona et probent diligantque et tamen difficillime exsequantur. Neque ea difficultas ex ardescentibus tantum cupiditatibus, sed etiam ex levitate iuvenili et inconstantia et periculis multis externis procreatur. Facile enim illa aetas proposita sua rationesque vitae immutat, susceptas omittit occupationes ; sacramentorum consuetudinem, sine quorum subsidio esse virtus nulla potest, intermittit, tot pericula levitate neglegit aut contemnit, in alia, quia non novit, temere incurrit. Atqui ad haec cavenda pericula, hanc refrenandam levitatem, hanc confirmandam inconstantiam disciplinae

sanctiones adhibentur; utque religiosa educatio ipsi animorum honestatisque culturae deservit, sic illa ad idem facilius praestandum adminicula subsidiaque adhibet. Iam vero adulescentem virtutis studiosum, sed sua retardatum imbecillitate qualem futurum putamus? Nonne ipse quoque aliquando vel faciet vel praetermittet id, quod nisi lege adactus nec faceret nec praetermitteret? Non ista obtemperatio saepe etiam religione ac pietate dirigetur? An, quia *sine lege non* ita ageret, continuo concludemus, eum s*ola* legis sanctione impelli? Immo plerumque lege utetur ad voluntatis debilitatem confirmandam animique vagationem compescendam atque regendam. Omninoque vim religiosae educationis nimis extenues, si illud effici posse desperes, ut plerique adulescentes iudicio ac voluntate ad decreta praeceptaque scholastica vitae rationem accommodent, eaque dum servent, Deum ipsum intueantur per moderatores sibi praecipientem, suaeque moveantur desiderio salutis. Quod ubi usu venerit, quantos ibi fructus allaturam disciplinae sapientiam arbitramur?

Esto; negari haec non possunt. At, inquis, cum ad academias accesserint iidem, quid fiet? Nam a quibus periculis adhuc longe afuerunt, iis undique circumvenientur, parum ad pugnandum parati; ingenti libertatis delectatione tanto *citius* e disciplina dimissi abripientur, quo minus illa uti didicerint.

Gravissimum id quidem; sed causam examinemus. Virtus bello paritur; recte tu quidem. At illecebris vitium alitur; annon hoc quoque verum

est? Iam disciplina si vitiorum blandimenta amoverit ac pericula deminuerit, nihilne erit aliud adulescenti impugnandum atque vincendum? Non erunt, etiamsi maior adhibebitur severitas, quam nos optamus, quaedam pericula superanda? Ipsas scholarum leges servare qui poterit, nisi multiplici utetur cupiditatum impugnatione, nisi domesticos externosque hostes quasi bello persequetur, nisi escas malorum virtutisque impedimenta comtemnet? Non negabimus sic quoque institutis atque educatis aliquando perniciosam evadere libertatem academicam. At iidem experti scimus atque affirmamus eorum exiguum esse numerum, plerosque autem, quia, quanti sit virtus, perspectum habent, quamque etiam sit dulcis, usu noverunt, multo facilius ab errore revocari.

Quamquam hoc potius scire cupimus, ipsa illa *libertas*, qualem vulgo intellegunt, sitne laudanda atque probanda? Sane quidem ultro dabimus, non eadem disciplina ac vigilantia, qua pueros, academicos quoque astringendos esse. Num omni carebunt et disciplina et custodia et moderatione et educatione? Illa libertas, quae litterarum studiosos scholas adire, cum libitum sit, aut non adire, si visum sit, et exemptos esse studiorum moderatione et examine sinit; quae compotationes palam fieri atque percursationes plateārum diurnas nocturnasque, cum academici tumultuose vagantes voluptatum suarum morumque agrestem lasciviam praeseferunt, non prohibet; quae sic frena laxat, ut maiorem temporis partem liceat in lautissimis deversoriis agere aut etiam famosas circumire domos et exsultare gloriari

que licentia : haecine, inquam, libertas eiusmodi est, ut in aliqua studiorum universitate toleranda esse videatur?! Non pugnat haec cum ea ratione, qua vel gentiles duci oporteat, nedum cum ea lege, qua dirigi christianos necesse sit? In quonam hominum genere tantam turpitudinem publice permittunt, quanta illi, qui omnium ordinum civibus aliquando provisuri sunt, commaculantur? Fertur enim minime moleste, florentem aetatem tempusque irreparabile ab iis proteri, animorum corporumque vires enervari, spes falli parentum, civium, Ecclesiae de iis iure conceptas, pro scientia licentiam, pro honestate pravitatem addisci! Neque vero haec tam adulescentiae vitio accidunt : usu enim vitae caret, impetu cupiditatum agitatur, illecebris voluptatum abripitur; sed *eorum*, quos succurrere imperitis, coercere cupiditates, lenocinia arcere pro viribus oportebat. Dei vero sanctorumpue praeceptorum eius et sapientissimae providentiae mira plerosque capit oblivio, cum flagitia in academiis libere vagari sinunt nec recordantur iudicii severitatem Eius, cuius non prohibent tantam iniuriam atque ignominiam.

Ubi iam sunt *fructus* eiusmodi animorum libertatis? Quam ratiocinando tantum intellegentes licuerat fortasse amare, usu expertos oportebat rectius cognoscere. Quid autem experti aliud sumus, nisi in iis scholis, in quibus vigeret libertas, bene moratos adulescentes tam esse raros, quam frequentes in iis, in quibus institutio disciplina atque educatione regeretur?

Uti nescire libertate eos, qui disciplina formati sint, existimant! Nimirum melius illi utuntur, qui

disciplina caruerunt fueruntque exleges! Annon oculis videmus plerosque litterarum studiosos in gymnasiis assuefactos luxuria in academiis lascivia diffluere? Simulationem docet disciplina. Paucos profecto; multi sunt autem, in scholis potissimum protestantium, qui discincti omni et religioni et honestati illudant. Serviliter agere assuescunt, qui severitate coercentur. Non multi, opinor; plurimos autem videmus adulescentes insolentes, contumaces, superbos tali educatos licentia, ut civili postea lege civilibusque institutis se exemptos velint. Quos tum demum poena consequitur, vincula coercent, securis etiam interimit; scilicet in eos *illi* animadvertunt, quorum culpa factum est, ut perperam educarentur. Sed haec hactenus; eo redeamus, unde digressi sumus.

Demonstratum est satis opinor, non posse cum doctrinarum partitione consistere disciplinam morumque formationem; quae magna certe causa est, cur studiorum quoque *institutio* unius eiusdemque magistri esse debeat. Sed antequam ostendamus, quanta ex educatione ad litteras emolumenta deriventur, num ipsa per sese scholarum partitio tantum sit studiorum adiumentum, videndum est.

Qua igitur ratione commoti academiarum instituendi consuetudinem ad gymnasia transtulerunt? « *Fieri non potest* », inquiunt, « *ut unus tot res accurate tradat.* Requiritur enim in eo, qui accurate aliquid est traditurus, notitia ampla atque subtilis; ad quam comparandam ita debet esse constitutus, ut ad unam alteramve disciplinam incumbere totus possit. » Apparet hanc dividendi

necessitatem ex illa immutatione gymnasiorum, de qua primo capite disseruimus, ortam natamque esse. Nam si praeter linguas latinam, graecam, patriam earumque litteras moderata historiae ac geographiae institutio praeciperetur in gymnasiis, cur magister unus non videretur posse satis esse instructus ad ea, quae cuiusque scholae essent propria, tradenda? Ubi autem mathematicam quoque et historiam naturalem et philosophiam et si qua sunt generis eiusdem, in gymnasiis tractari, non ad lyceum differri volueris, recte fortasse negaveris, unius hominis ingenium tot tantasque res posse complecti. Quamquam non dubitamus affirmare facilius inventum iri viros, qui illa omnia docte acuteque tradant, quam pueros, qui ea simul, tam tenera aetate, discant. Quodsi tamen in illa quoque simpliciore gymnasiorum institutione statuas suos esse oportere linguae cuiusque et historiae praeceptores : poterit omnino sua quisque parte doctrinae instructior esse, sed vehementer dubitamus, sit ne ad eam institutionem, quae est proposita, aut saltem proponenda gymnasiis, futurus aptior.

Primis enim annis linguarum notitia et quaedam adumbratio historiae proponitur. Quae accurate sane tradi convenit ; sed ut bene fiat, cavendum est, ne spectes altius. Quid enim aliud quaeritur, nisi ut pueri communibus certisque grammaticae praeceptis imbuti eadem et in scriptoribus deprehendere et imitando sequi discant? An subtiliores dubiasque grammaticorum notas vel etymologorum opinationes vel etiam criticorum argutias cum ipsis elementis tradi oportet? Quid historia?

Nonne huius par omnino ratio est ? Iam vero praeceptores gymnasiorum nonne iure succenseant dubitantibus, sintne ad haec quattuor tradenda satis parati atque instructi ?

Maior autem eruditio etsi ad haec prima quoque melius docenda valet, tamen non minus eandem *obesse* solere usu demonstratur. Qui enim copiosius ac diligentius suam pertractavit disciplinam, is et multa magis perspicue ac definite proponit et idem tamen sua sponte ad ea delabitur aut etiam evagatur, in quorum tractatione ipse perpetuo versatur, versari autem rudes nec debent nec possunt. Sit igitur accurate institutus, quamvis modice doctus, is qui magistri partes acturus est; sit eidem ratio certa docendi, sit iudicandi elegantia, sit morum facilitas, sit agendi cum pueris prudentia, sit eos iuvandi industria ardens : nihil erit amplius, quod ad bonam institutionem desideres. Atqui significavimus, quare ista in uno unius scholae magistro facilius quam in multis multarum artium doctoribus inesse possent. Sed hic error ex illa opinione manavit, eadem ratione, qua academias, gymnasia institui oportere, nec ita nultum interesse puerosne ad humanitatem erudias an iuvenes amplo doctrinarum instrumento locupletes.

De infimis classibus diximus; quid *superiores ?* Num si adulescentuli non tam omni linguarum historiarumque varietate instruendi, quam ad artem illam oratoriam informandi sunt, disciplinarum doctores requirentur, ac non potius repudiandi erunt omnino ? Nonne ipsum magistrum litterarum potius peritum quam grammaticis pere-

ruditum esse necesse erit? Atque hic *una* quodammodo in disciplina versabitur habitabitque, sed ea, ad quam non possit nisi pari graecarum, latinarum, domesticarum studio litterarum fingi atque formari. Sequitur, ut unam oporteat esse earum institutionem. Scriptores explicabuntur, ut, qua dicendi arte usi sint, intellegatur ; eodem spectabit graecorum cum latinis et utrorumque cum patriis comparatio ; scriptionibus atque dictionibus propositum erit, ut illis exprimendis exemplaribus usurpandisque artificiis iudicium acuatur alumnorum : apparet eiusdem esse praeceptoris, qui artis praecepta tradat, eadem et in illis scriptoribus demonstrare et ad scribendi dicendique exercitationes deducere. Quodsi dividi magistrorum partes opus erit, non linguarum scriptorumque fiet dispertitio, sed alteri rhetorica universa, alteri poesis attribuetur. Quod usurpatum videmus aliquando, extremo quidem anno curriculi litterarum. Etenim quo longius provectos aetate quoque minus rudes acceperis discipulos, eo facilius educandi ratio patietur, ut tuas docendi partes cum altero partiare ; ipsam autem institutionem tum esse copiosiorem ac subtiliorem oportet.

Atque ob hanc eandem causam nemo infitiatur, distributionem disciplinarum *academicae* institutioni aptiorem esse. Neque enim academici tanta cura ac diligentia servandi colendique sunt ; detrimentum etiam ex ea re capiant. Qui enim formati iam sint, eos confirmari tantum opus est, ut susceptas vitae rationes teneant ac sequantur ; qui ordinis bonaeque consuetudinis sint amantes,

eorum arbitrio aliquantum relinqui spatium libertatis bonae est disciplinae sapientisque custodiae; denique etiamsi ipsi quoque auctoritate doctoris non leviter moventur, tamen, si plures sunt praeceptores, non ut pueri in diversa aguntur aut perturbantur, sperarique licet fore, ut nec in vitae nec in studiorum ratione tam sensu atque affectione, quam consilio atque institutione dirigantur.

Quodsi tamen nonnunquam academici, vel ingeniorum quadam propensione vel aliis causis inanibus, pelliciuntur, ut tempus, diligentiam operamque suam non pro rerum ac disciplinarum gravitate collocent : in gymnasiis exspectari fas erit, ut distributis studiorum partibus vel discipuli vel magistri id spatium, id momentum, quod cuique rei consentaneum sit, attribuant? *Consensum concentumque studiorum* quem esse conveniat, ne cogitant quidem ; illud unum expetitur, ut quam copiosissima sex septemve disciplinarum notitia pueri imbuantur. Sua quisque magister studia amat et plerumque summi aestimat ; nihil habet antiquius, quam ut illis discipulos, quoad fieri possit, instruat. Dixeris magnum ex hoc emolumentum derivari. At illud impedit, quod est gymnasiis praeter cetera propositum, ut aequabiliter ingenii vires excolantur. Magistri enim inter suos quisque discipulos invenient quosdam, qui singulari ingenio, studio, amore ea amplectantur, quae ipsi tradant ; quos honore afficient, benignitate sibi devincient, diligentia insigni iuvabunt. Vicissim pueri modo auctoritate moventur, modo ingenita cupiditate impelluntur,

vel captata laude trahuntur vel prospero aliquo eventu invitantur, ut ad unam partem doctrinae penitus se applicent. Et est tamen in eis ad alias quoque, fortasse graviores, addiscendas facultas, et poterat vel nasci vel excitari studium ac delectatio, nisi ad unam partem inclinati et tempus et operam illis subducerent. Quid magister unus atque communis? Nonne ad universam ingeniorum culturam pariter incumbet ? Qui perspectum habens, quae sit cuiusque indoles, quae facultates, nonne sic naturae cuiusque sequetur impetum, ut eum a ceteris institutionis partibus longius avocari minime patiatur? Poterit enim idem et eo inclinare ingenia, quo sua sponte propendent, et ad ea, a quibus abhorrent, applicando vel virtutis vim experiri vel fortasse facultatem aliquam quasi sopitam excire.

Denique ut in educando, sic in docendo, si diversa sit praeceptorum ratio instituendi, magna exsistere mala immaturae aetati necesse est. Prohiberi enim nullo pacto potest, quominus de studio litterarum eiusque moderatione sit aliqua *opinionum varietas*. Etenim intellegentiam potissimum acuendam alter censet, alter plus memoriae tribuit ; hic paratos ad nova tractanda venire discipulos iubet, ille retractari diligentissime scholas superiores vult ; hic artem percipi gravissimum ducit, ille in exercitatione verti omnia existimat. Quodsi suam quisque scholam solus moderaretur, non esset, cur ita magnum creari damnum putaremus, nisi forte virtutes illae in vitia depravarentur. Sed discipuli si dissentire inter se praeceptores animadverterint, modo dubii

fluctuabunt, modo ad iocandi illudendique levitatem devenient, qua quantum iusta observantia ac verecundia minuatur, credi vix potest. Idem dicendum est, cum de rebus ipsis magistri dissentiunt. Quod quam saepe fit, ut de grammaticis historicisque quaestionibus inter eos non conveniat ! Quam longe discrepare solent artis existimatores ! Laudari in una schola Ciceronis copiam, facetias, flumen audient pueri, in altera praeferre iubebuntur Demosthenis artem, gravitatem, modestiam; modo Vergilii ornatum ac dignitatem, modo Homeri locupletissimum ingenium dictionisque nativum leporem, minime enervatum, summi facere discent. Quae sententiarum varietas, ut prodesse adultis potest, ita obest rudibus.

Classium igitur institutionem, si quidem ea ratio spectetur, quam solam accommodatam gymnasiis existimamus, ad ipsam etiam litterarum tractationem plus adiumenti quam detrimenti afferre, iure asserimus; restat, ut ostendamus, quantam eadem *disciplinae atque educationis praesidio* opem ferat studiosis, ut doctrina proficiant. Mirabile dictu sit profecto, disciplinarum partitione etiamsi non mores adulescentium iuventur, studiorum tamen progressionem accelerari. Nam ea vis est honestatis, ut institutio non optima, dummodo disciplina atque educatio opitulentur, multo ampliorem fructuum abundantiam, quam sine eis doctrina praestantissima ferat. Valent enim vel maxime et in ipsa scholarum auditione et in domesticis laboribus. Quid enim potius, quam scholas et labores imperatos, disciplina ordinat

atque praefinit ? Quid urget acrius quam diligentiam atque assiduitatem ? Educatio vero qualis esse potest, cuius non vis omnis, non et severitas omnis et clementia, ad officii functionem impellant ? Iam illa necessitudo, illa familiaritas magistri cum discipulis, quam educatio conciliat, nihilne valebit ad meliorem studiorum tractationem ? Quintilianum audiamus :

« Plura », inquit II, 9, « de officiis docentium locutus, discipulos id unum interim moneo, ut praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio ; nam ita et libenter audient et dictis credent et esse similes concupiscent ; in ipsos denique coetus scholarum laeti et alacres convenient, emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint carissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum praebere se dociles ; alioqui neutrum sine altero sufficiet. Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, et frustra sparseris semina, nisi illa praemollitus foverit sulcus : ita eloquentia coalescere nequit nisi sociata tradentis accipientisque concordia ».

Sed nulla est virtus disciplinae educationisque salubrior, quam quod morum tuentur innocentiam. De qua re iuvat eundem illum antiquitatis sapientem audire disserentem ; qui quidquid de eloquentia dicit, id in alias quoque artes litterasque cadit, nec certe ab adulescentibus alienum est, quidquid de viris disputat (XII, 1) :

« Sit ergo nobis orator, quem constituimus, is, qui a M. Catone finitur *vir bonus dicendi peritus ;*

verum, id quod et ille posuit prius et ipsa natura potius ac maius est, utique *vir bonus*. Id non eo tantum, quod, si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque rebus perniciosius eloquentia; nos ipsi, qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus haec arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo, quod praecipuum indulsisse homini videtur, quoque nos a ceteris animalibus separasse, non parens, sed noverca fuerit, si facultatem dicendi sociam scelerum, adversam innocentiae, hostem veritatis invenit. Mutos enim nasci et egere omni ratione satius fuisset, quam providentiae munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc iudicium meum. Neque enim tantum id dico eum, qui mihi sit orator, virum bonum esse *oportere*, sed ne futurum quidem oratorem nisi virum bonum.... Ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens nisi omnibus vitiis libera potest : primum quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium et cogitare optima simul ac deterrima non magis est unius animi, quam eiusdem hominis bonum esse ac malum ; tum illa quoque ex causa, quod mentem tantae rei intentam vacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus, curis oportet. Ita demum enim libera ac tota, nulla distringente atque alio ducente causa, spectabit id solum, ad quod accingitur. Quodsi agrorum nimia cura et sollicitior rei familiaris diligentia et venandi voluptas et dati spectaculis dies multum studiis auferunt

(huic enim rei perit tempus, quodcumque alteri datur) : quid putamus facturas cupiditatem, avaritiam, invidiam ? quarum impotentissimae cogitationes somnos etiam et illa per quietem visa perturbant. *Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum, quam mala mens.* Nam et cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur, et iam cum sceleris compos fuit, sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium exspectatione torquetur. Quis inter haec litteris aut ulli bonae arti locus. Non hercle magis, quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid igitur ex libidine ac luxuria spei? Non praecipue acuit ad cupiditatem litterarum amor laudis? Num igitur malis esse laudem curae putamus? Iam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu aequi bonique consistere? Dicetne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? ».

Haec ille; nos christianis lectoribus quid aliud dicemus, nisi id unum, tum in studiis profici, si Deus adsit, non affuturum autem, Christianis praesertim, nisi illud servetur praeceptum : « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis ».

III

DE GENTILIUM SCRIPTORUM LIBRIS LECTITANDIS

Ubi primum consuetudinem institutionis scholarumque pristinam reprehendere coeperis, illa quoque dubitatio sua sponte occurret, satisne recte ethnicae antiquitatis scripta scholasticis tradantur. Nec maior ullo tempore, quam nostro, fuit locus ambigendi. Nam ex quo protestantes vel potius ii, qui se rationis esse cultores volunt, omnem litterarum amplitudinem occuparunt earumque maxime subsidio adulescentiam sibi devinciunt, nimia prorsus omnes politiorum hominum ordines pervasit admiratio litterarum antiquarum. Huc accessit, ut eodem tempore ex superiorum ecclesiasticorum custodia ac maximam partem etiam e tutela curaque sacerdotum eximerentur scholae et in magistratuum litteratorumque manus totae traderentur, qui quidem non minus quam poetae, scriptores, philosophi revelatae religionis contemptores essent. Coepta est igitur antiquitas, neglecta educatione religiosa institutioneque christiana, sola ac nuda, nulla aut moderatione aut cautione adulescentiae proponi, scilicet ut ipsam « humanitatem » illam perciperet, hauriret, admiraretur, amaret. Qualis autem sementis facta erat, talis seges succrevit : insolentia apparuit ingeniorum, in doctorum scholis alita, et fidei pervulgata contemptio eam mo-

rum feritatem procreavit, qua plurimos adulescentes laborare dolentes videmus.

Quid mirum, si illi, qui fidei veritatem morumque integritatem summa hominis bona ducebant, contra sentire ac dicere coeperunt! Ab erroribus gentilium ut adulescentes defenderent, quam minimum uti eos litteris antiquis voluerunt et Patrum potius scripta in scholas induci iusserunt. Quod quamvis congruere christianae educationis rationibus videatur, nihilominus et consuetudini et institutis catholicae Ecclesiae consentaneum non iudicamus, nec dubitamus affirmare, etiamsi unum alterumve scriptorem ecclesiasticum legi nihil vetet, tamen ipsam tum linguarum veterum tum artium liberalium institutionem e Graecorum Romanorumque operibus, sapienti adhibita cautione ac moderatione, derivandam esse. Iam vero scholas veteres dum ab optimorum catholicorum crimine vindicamus, simul, quam longe mos modusque illarum ab his antiquitatis studiis plurimarum recentiorum fuerit diversus, significabimus.

In libello quodam periodico vel imprimis catholico, in quo multa ingeniosissime disputari solent, brevi in conspectu positas videmus eas rationes, quae nostrae opinioni opponi possunt. Et quamquam haec non eo potissimum consilio scribimus, ut illius sententiae defensorem, virum clarissimum, impugnemus, tamen, quoniam necesse nobis est in hac causa dicere quid sentiamus, nostras illius meditationibus eo libentius adiungemus atque comparabimus, quo maiorem eis auctoritatem maiusque pondus scriptoris optime meriti dignitas addit, ac facilius plerique fidem sunt habituri

tanto viro ea tuenti, quae nos et religionis et humanitatis causa impugnanda esse ducimus.

Cuius haec est oratio (Hist. polit. Blaetter, t. XII, codic. 9):

« Quaeritur hoc loco », inquit (de P. Venturae selectis Patrum operibus Romae vulgatis loquitur), nonne utilior multis rationibus salubriorque futura sit adulescentibus horum *scriptorum ecclesiasticorum* lectio, quam veterum tractatio; qua quidem in opinione est P. Ventura eaque ductus hoc ipsum opus suscepit. Praeclaros esse antiquorum libros nemo negat, sed eosdem instituendis adulescentibus minus convenire dixeris ob eam causam, quod a gentilibus profecti ipsi sibi conciliaturi teneros animos atque a religionis christianae salute et virtute avocaturi esse videantur.

« Iam vero si alii sunt scriptores, qui latinitate non mala utentes iucunde atque adeo suaviter ad ea alliciant ducantque adulescentium animos, quae ipsis ad omnem vitam gravissima sanctissimaque videri debent, haud scio an nihil sit, cur antiquis illis postponantur. Atqui SS. Patrum lectio huiusmodi utilitatem non contemnendam affert, imprimisque S. Hieronymi epistulas Ciceronis pulcherrimis iure comparaveris, vitae autem eiusdem omnibus partibus meliores sunt quam Cornelii Nepotis. Sed ut nunc res est, scriptorum ecclesiasticorum opera et ignorantur ab adulescentibus et strictim attinguntur a theologis, quibus ad ea accurate cognoscenda non sit otium inter cetera studia. Hieronymi quidem libri quanti sint aestimandi, aliquot testimoniis iuvat demon-

strare... Atque haec causa fuit, cur epistulae eiusdem perdiu ad scholasticam institutionem adhiberentur. Quibus Petrarca potissimum novum conciliavit honorem magnamque in scholis auctoritatem. Post aliquanto Canisius ille eodem consilio selecta eius opera vulgavit inscripsitque « Hieronymianum Thesaurum »; quae editio, a Canisio Dillingianis magistris alumnisque confecta, late per omnem Europam divulgata est. Sexto decimo demum saeculo antiqui, cum omnium ad se animos quadam novitate convertissent, quamvis pleni essent gentilis erroris et turpitudinis et lasciviae, iidem tamen apti habiti sunt, quibus erudirentur pueri atque adulescentes. Itaque etiam Patres Tridentini re diligenter deliberata Indici hanc legem inseruerunt : Antiqui [libri] ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris praelegendi sunt.

« Inventum sane remedium est quorundam malorum, cum eos locos, qui imprimis offensioni ac periculo essent, in puerorum libris omitterent. Sed ut non dicam ea ipsa re curiositatem excitari comparandi integras editiones cum expurgatis, illud tamen periculum, ne volvendis antiquis a pietate christiana abalienentur pueri, nondum est sublatum. Fateri sane cogimur, per praesentem rerum condicionem non licere, ecclesiasticos scriptores pro antiquis substitui, sed antiquitatis notitiam hodie requiri ; at illud dubitatur, satiusne sit praeter gentiles auctores sic uti etiam Patrum praelaris illis operibus, ut hos quoque aliquatenus cognoscant adulescentes ».

Nos si hoc unum quaereretur, optimumne esset, « praeter gentiles auctores sic uti etiam Patrum praeclaris illis operibus, ut hos quoque aliquatenus cognoscerent adulescentes », non gravaremur illi disputationi accedere. Sed si verum est, pervolutandis veterum scriptis in tantum adduci periculum pueros nec id cautione proposita satis removeri, immo vero augeri ; si omnino fieri non potest, quin « a pietate christiana abalienentur pueri volvendis antiquis » ; denique si Ecclesia hoc ipsum lege cavit, ne veteres in scholis legerentur : ullane potest esse condicionis praesentis necessitas, qua defendamus morem explicandi antiquos potissimum et secundaria aliqua notitia Patrum adulescentes instruendi ? Moveri enim consuetudine ac temporibus possumus, ut iis litteris eos imbuamus, quarum ipsarum exiguus sit usus christiano homini ; at nunquam committendum est, ut aut morum fideique integritas, aut observantia legum ecclesiasticarum detrimentum capiat.

Veniat igitur in mentem, quantum crimen huiusmodi argumentatione et *scholis omnibus catholicis* et magistratibus tum ecclesiasticis tum civilibus illum morem non prohibentibus aspergatur. Nam saeculis proxime superioribus — de quibus ipsis ista querela editur — *Iesuitas* fuisse constat inter catholicos veterum scriptorum vel studiosissimos. Num hi religiosi, quorum laboribus nominatim Germaniae catholicae servata fides est, id quod nemo dubitat, illam quoque accusationem, pronuntiatam a Germanis catholicis, audient, quod adulescentium animos a christiana

pietate averterint, purgandis veterum libris illecebrarum pericula auxerint, denique in omnium hominum conspectu Concilii Tridentini praeceptum protriverint? Sed contingit eis non incommode, quod ceterae omnes superiorum saeculorum scholae, quibus ipsi non praefuerunt, immo vero *tota antiquitas* christiana nullo vel loco excepto vel tempore, eodem crimine petuntur.

Permagnus error est profecto, quo implicatum esse adversarium nostrum miramur opinantem « sexto decimo demum saeculo antiquos, cum omnium ad se animos quadam novitate convertissent, quamvis pleni essent gentilis erroris et turpitudinis et lasciviae, eosdem tamen aptos habitos esse, quibus erudirentur pueri atque adulescentes ». Verum illud quidem est, ex quo quinto decimo saeculo Graeci plurimi in Italiam immigrarunt, et hic et per omnes deinceps partes solis occidentis antiquitatis studia multo studiosius, quam duobus aut tribus saeculis superioribus solita erant, tractari coepta esse : quod inde natum est, quia, omnium artium liberalium litterarumque amor, cum aliquandiu languisset, tanto ambitiosius excitatus est. Viderat autem Ecclesia tempora, cum idem studium esset ardentissimum, et hoc gravissimum est, quod omnem veterum linguarum artiumque liberalium notitiam, sive ampla erat, sive exigua, omni tempore ex anti quorum Romanorum Graecorumque scriptis derivaverant. Et quoniam ab iis, qui haec nostra lecturi sunt, permagni fieri christianae antiquitatis auctoritatem aequum est, id ipsum, quod modo dicimus, praeter cetera demonstrandum esse existimamus.

Sed illud tam vere dicimus, ut, *quotiescumque* vel ipsi Patres vel medii aevi scriptores grammaticae studium et rhetoricae et dialecticae, aut etiam artium liberalium litterarumque profanarum nominant, graecos latinosque scriptores nominare censendi sint. Nam cum monent Patres, ne quis nimis magni aestimet ardentiusque concupiscat scientiam profanam, hanc afferunt rationem, quod Scriptura sacra et piorum virorum libri plus sapientiae, quam gentilium opera, contineant ; vicissim cum moderatam sapientemque illius scientiae cupiditatem laudant, hanc potissimum ostendunt utilitatem, quod Deus gentilibus quoque varia manifestatione divinam patefecerit naturam, ut iam suis eos armis impugnare oporteat. Quae omni carent sententia, nisi scientiae profanae studium cum studio antiquorum gentilium aequatur. Quodsi quis dubitat de huiusmodi loquendi consuetudine Patrum, is ex multis locis, quos in hac ipsa disputatione infra afferemus, id discat licebit. Satis hic sit unam alteramve audire vocem, ut minime contemptum esse antiquorum studium a Patribus intellegamus. « Multi », inquit S. *Gregorius Nyssenus*, cum de Israelitarum exitu ex Aegypto disserit, « multi doctrinam profanam tamquam dotem aliquam ad Ecclesiam afferunt; in quibus magnus ille Basilius fuit, qui opimis Aegypti (i.e. gentilitatis) spoliis, quae adulescens adeptus Deo consecraverat, Ecclesiae ornavit tabernaculum ». (De vita Moysis Opp. T. I. p. 209). Sed idemquod in Basilio Gregorius, Augustinus laudat, eadem usus imagine, in Cypriano, Lactantio, Victorino, Optato, Hilario et « Graecis innumerabi-

libus » (Doctr. christ. II, 60). Cuius locimentio iterum facienda erit; nunc illud addimus, nominatim de dialectica et rhetorica et ceteris disciplinis profanis ab illo disseri explicarique, quantam hae illis viris attulerint, derivatam ex gentilibus scriptoribus, doctrinae copiam.

Dixerit quispiam, id unum laudatum a SS. Patribus esse, quod illi ea doctrina, quam semel comparassent, *bene essent usi*, at non probatum, quod ad eam adipiscendam primam aetatem impendissent: ut in evangelii praecone laudandum iudices, si rerum usum saecularium, postquam Ecclesiae deservire coeperit, ad salutem animarum converterit. At non ita est : de ipsa enim adulescentia isto loco *Augustinus* loquitur. Nam ipsis verbis hanc ponit quaestionem (ib. n. 29 ss., cf. S. Hier. ep. 54 ad Magnum), num adulescentes christiani artibus litterisque gentilium instruendi sint, atque exclusis artificiis quibusdam, quae daemonum habuerint commercium, ut magica, divinatione, aliis, cetera vult omnia, quae in hominum mutua consuetudine versentur, « quantum satis sit », assidue diligenterque addisci ab adulescentibus christianis. Quae non modo ad vitae communionem necessaria, verum etiam ad doctrinam divinitus patefactam intellegendam perutilia dicit. Quid vero? Nonne complures ex illis viris, quorum laudatur notitia antiquorum, christianis erant parentibus orti? Non pugnabat igitur cum consuetudine moribusque christianis, adulescentiam gentilium libris erudiri. S. Joannem *Chrysostomum* accepimus et *Basilium* et *Evagrium* et alios adulescentes christianos una cum

paganis adulescentibus Libanii rhetoris scholam adire solitum (de sacerdot. I). In *Basilii* autem scriptis oratio est, qua tota iis adulescentibus religiosis, quos ipse educabat, explicat, quam utilitatem ex poetarum scriptorumque graecorum, Homeri potissimum, lectione percipere, quae vitare pericula debeant (T.I. hom. 24). Quodsi in ea schola, quam vir ille sanctissimus ipse moderabatur, gentiles explicati sunt, iure concludere videmur, idem in ceteris religiosorum scholis ad ipsius regulam institutis factitatum esse. Quas ipsas a S. Chrysostomo maximo opere commendatas videmus.

Num haec prima sunt ac sola vestigia, unde antiquam christianorum consuetudinem cognoscamus?

Ab *Origine* nonne poeticam et rhetoricam inter scholasticas disciplinas relatas accepimus? *Julianus* vero ille Apostata, cum vetaret christianos adulescentes ethnicis scriptoribus erudiri, nonne probe norat, quae esset institutio christianis usitata? Postremo quod hoc ipsum edictum S. Augustinus, omissa cetera Iuliani credelitate, solum affert exemplum, unde eum Ecclesiae hostem fuisse demonstret, evidens est, illos permagni antiquitatis studium fecisse. Cuius haec sunt verba: «Quid respondent etiam de Iuliano, quem non numerant in decem [persecutoribus]? An ipse non est Ecclesiam persecutus, qui christianos liberales litteras docere ac discere vetuit? ». (De Civ. Dei 18,52). Intellegi autem litteras liberales studium antiquorum, e *Socrate* licet cognoscere, qui quidem illo tempore ab ipsis christianis carmina de

rebus piis conscripta narrat, quibus ad instituendam adulescentiam uterentur, additque, mortuo Iuliano gentiles scriptores ab iis repetitos esse (1, 12 et 16).

Dicet, opinor, aliquis, *primis tantum illis aetatibus* antiquorum notitiam ob assiduum christianorum ac necesssarium cum gentilibus commercium optandam fuisse. At hoc unum si agebatur, viris in virtute doctrinaque praestantissimis id studium committi, adulescentia ab eo removeri poterat ; removissent autem certe, si tum existimarent, lectitandis antiquis animos a *pietate* christiana abalienari *morumque* integritatem periclitari. De reliquo ipsae illae rationes, quibus istam institutionis consuetudinem vel excusant vel defendunt Patres, suam omni tempore vim obtinent. Negat S. *Basilius* (l. c.) aetatem immaturam in Scriptura versari posse ; iubet igitur profanos scriptores tantisper legi ab adulescentulis ; quos multum dicit ex iis ad formandos animos discere posse ; exerceri etiam ingenii facultatem et studium apparari librorum sacrorum.

Negat *idem* alio loco (reg. fus. 15), assentiens viris sapientissimis, intellegi divinam Scripturam posse nisi ab eo, qui litterarum profanarum peritus sit.

Vicissim hoc praecipiebant Patres, ne quis adulta aetate eadem studia vel curiositate vel laudis cupiditate vel aliqua levitate persequeretur, iubebant autem a viris sacram doctrinam strenue tractari. Velut Hieronymus in se ipse reprehendit, non quod puer antiquos pervolutarit, sed quod diutius imitari Ciceronem atque ambitiosius per-

rexerit, atque in eadem epistula (142 ad Dam.), in qua sacerdotes saeculares Romanos vituperat, quod cupidius in comoediis aliisque poematis profanis quam in prophetis et evangelio versentur, concedit, ut pueri profanis scriptoribus erudiantur. In quam sententiam interpretandi sunt, si qui scriptores ecclesiastici, Tertullianus potissimum, vitiosam dicunt lectionem gentilium; quodsi quas id genus reprehensiones aliter accipiendas arbitrere, contemnendae sunt, cum tot obstent tamque perspicua maximorum Patrum testimonia et contraria fuerit communis Ecclesiae consuetudo.

Occurrit illud, non fuisse antiquitus, quos *pro* gentilibus scriptoribus legerent. Ipsorum enim demum Gregorii, Basilii, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi opera ostendunt, unde scholasticas promi lectiones oporteat. Ad *posteros* igitur veniamus, apud quos vix vestigia ulla gentilitatis graecae romanaeque manebant eratque confirmata iam illorum sanctorum auctoritas.

Qua quidem aetate ipsos fuisse *religiosos* antiquarum litterarum conservatores videmus. An illud responsum probabitur, quod quidam ardentiores iidemque nescio quo circumventi errore dederunt : non studii causa a monachis usurpatos esse antiquos, sed eo consilio assumptos, ut pro manuum labore descriptio antiquorum librorum substitueretur ? (1) Nonne commentarios quoque

1. Abbas Trappiensis cum non modo suis monachis studio interdixisset, verum etiam ceteras familias Benedictinas reprehendisset, quod relicto more maiorum litteris operam darent, *Mabillon*, clarissimus rerum eius Ordinis scriptor, hoc libro «Traité des études monastiques» monachorum praeclara in litteras merita demonstravit; cumque ille oppositam ab eo priorum saeculorum auctoritatem ea, quam diximus, similive excu-

atque interpretationes illis saeculis conscriptas novimus ? Non scriptores ecclesiastici, qui tum fuerunt, Beda, Anselmus, Bernardus, alii satis ipsi demonstrant, se lectitasse ac pertractasse antiquos? Quamquam de ipsis scholis mediae aetatis satis multa memoriae tradita videmus.

De Ordinis quidem S. *Basilii* scholis religiosis modo diximus. S. autem *Benedictus* et Ordines monachorum et has monachorum scholas in Occidentem transtulit, cuius rei notissimae non est cur vel testimonia vel argumenta afferamus. Sed cum religiosorum scholis simul conditae sunt cathedrales s. episcopales, in quibus moderantibus episcopis eo fere modo, quo nunc in seminariis minoribus solent, pueri instituebantur. Iam vero hae religiosae et cathedrales paene solae scholae publicae ante natas academias vel universitates exstiterunt, et una cum fidei doctrina per omnem occidentem propagatae viguerunt. Illi monachi Benedictini, quos *Gregorius Magnus* misit, ubi primum in Angliam appulerunt, studiosissime id egerunt, ut et in monasteriis et in sedibus episcoporum scholas instituerent. Unde in Germaniam iisdem religiosis transvectis brevi Fuldensis, Corbeiensis, aliae plurimae scholae effloruerunt, in quibus ii potissimum adulescentes, qui vel religiosi vel sacerdotes futuri erant, erudiebantur. Atque hic nobis sanctissimi illi offeruntur evangelii nuntii, quibus populi solis occidentis fidem referunt acceptam; qui constituti inter barbaros, ad quos

satione eludere conaretur, altero respondit hoc opere: «Réflexions sur la réponse de M. l'abbé de la Trappe »... In hoc utroque scripto gravissima ac iucundissima de mediae aetatis scholis litteratis deque monachorum in artibus liberalibus labore ac studio proposita invenias.

vix fama ulla graecorum romanorumque scriptorum aut saltem nullum litterarum religionisque illorum studium pervasisset, omnique soluti temporum locorumque necessitate sine dubio ita, ut pietas christiana postulabat, scholas instituere potuerunt. Quid ergo? Nonne in eis, quas condiderunt rexeruntque, universis ardentissimum fuisse studium litterarum antiquarum videmus?

Sed hoc antequam consideremus, illud iuvat animadvertere, non ipsorum conditorum rectorumque consilio ista monasteria istasque scholas, sed *summorum pontificum* auctoritate et earum exemplo, quae florebant in *ceteris terris*, institutas esse. S. Augustinum quidem accepimus (ep. S. Greg. XI, 64 ; Bedae hist. I, 27) a *Gregorio* papa consilium petivisse, qua ratione adulescentes Anglos ad ordinem clericorum educaret ; responsum est : id ita faciendum esse, ut Romae fieri vidisset. S. autem Benedictus Biscope (Mabillon, Réflex. I, 12), qui duodecim annos abbatiae Cantuariensi a S. Augustino conditae praefuit, iter per *Galliam Italiamque* eo consilio fecit, ut celeberrimi cuiusque monasterii institutionem diligentissime cognosceret. Qui ubi rediit ad suos, duo in Northumbria cœnobia fundavit, quae moriens asseveravit sic a se religiosissime descripta dispositaque esse, ut et Cantuariae et in quindecim clarissimis Galliae Italiaeque abbatiis didicisset. Qui saeculo fuit septimo ; eodemque saeculo, anno, inquam, 678 *Beda* Ven. septennis ad illarum scholarum alteram studii litterarum causa venit. Is autem ipse testis est tum eum fuisse in his Angliae scholis discentium ardorem, ut pueri tam facile latina et græca

quam patria lingua uterentur. Quod effectum dicit vel praecipue Theodori opera archipraesulis Cantuariensis et Hadriani abbatis; eorum autem utrumque *Vitalianus* papa a. 678 ex Italia in Angliam miserat. Ac ne quis forte opinetur adulescentes Anglos volvendis Patribus latine graeceque didicisse : est inter Bedae opera latina grammatica itemque metrica et orthographia, in quibus libris exempla omnia e Cicerone, Livio, Vergilio aliisque antiquis mutuatus est; ac tamen ipse dicit in prooemio se ea pueris litterarum studiosis conscripsisse. *Alcuinus* autem in quodam carmine, in quo eam instituendi rationem praedicat, qua usus ille Aelbertus in Eboracensi schola ad grammaticam, poesim, rhetoricam informabat adulescentes, nominatim Homeri aliorumque scriptorum graecorum mentionem facit laudatque Eanbaldum, qui in illius locum successerat, quod id gymnasium optimis latinis graecisque libris locupletasset (Mabill., Acta SS. Ord. S. Bened. Saec. III, P. II, p. 510, 512). Denique S. Cadroe, homo *Hibernus*, antiquarum litterarum notitia tantam gloriam adeptus erat, ut eum is, qui vitam eius scripsit, pervestigasse dicat, quidquid vel poetae cecinerint vel oratores locuti vel philosophi commentati sint,... eundemque per omnem *Scotiam* conservis sapientiae triticum fideliter dispensasse (id. Saec. V. Vita S. Cadr. § 2). Quis autem nesciat, medii aevi hanc fuisse loquendi consuetudinem, ut solos antiquos « poetarum », « oratorum », « philosophorum » nomine simpliciter appellarent?

Quid vero in *Germania?* Ubi scholas omnes a

Carolo Magno vel excitatas vel perfectas, *Alcuinum* aut omnino rectorem aut aliqua ratione moderatorem nactas esse pervulgatum est. Qui qua sit usus institutione adulescentium christianorum, videamus. Ipse et grammaticam, et rhetoricam, et dialecticam in scholis usurpandas scripserat (v. operum partem extremam). Quibus ita praefatur, ut colloquio de istarum artium fine atque utilitate disserens easdem afferat rationes, quas S. Basilius alumnis suis religiosis proposuit. Iubet igitur aetatem efflorescentem necdum Scripturae Patrumque studio aptam tantisper in his profanis artibus, integre omnino casteque, versari atque ita ad altiores maturescere. Deinde in ipsis libris exempla plurima ex omnibus Vergilii operibus depromit aliaque non pauca ex Horatio, Terentio, poetis ceteris mutuatur.

Eodem studio antiquarum litterarum proximis saeculis arserunt, quicumque monachorum atque episcoporum gymnasiis praefuerunt. Bruno, Ottonis imperatoris tertii frater, cum in schola cathedrali Ultraiectensi institutus esset, laudatur ab eo, qui res eius narrat apud Surium (d. 11 mens. Oct.), quod acri alacrique usus ingenio nihil illic non cognoverit, quod in Graecorum Romanorumque eloquentia alicuius esset momenti : perquisivisse eum cum praeceptoribus, quidquid novi praeclarique rerum scriptores, oratores, poetae, philosophi meditati essent. Qui ad aulam accersitus, ubi scholae palatinae praeesset, in ipsis itineribus, quae cum Ottone facere cogebatur, librorum copiam, studiorum suorum « causam et instrumentum » secum ferebat, « causam in divinis (i.e.

ad divina omnia referebat), instrumentum in gentilibus libris, ut puta doctus pater familias, qui novit de thesauro suo proferre nova et vetera ». Porro S. Meinwercus (*Bolland.* Acta SS. Tom. I. Iun. Vita S. Meinw.) ea doctrina, quam S. Bernwardo moderatore Halberstadii et Hildeshemii adeptus erat, usus est Osnabrugae et Paderbornae, ut in scholis episcopalibus studia artium litterarumque excitaret. Quae studia? Erant ibi musici et dialectici, rhetoricae et grammaticae praeceptores; vigebat ibi Homerus et magnus ille Vergilius, Crispus Sallustius et elegantissimus ille Statius. Additur etiam in vita eius, hac institutione formatos esse illos caelestis militiae alumnos Annonem Coloniensem Archipraesulem, Trithericum Monasteriensem episcopum, alios multos, qui postea egregii cultores vineae Domini exstiterint.

Et quamquam ex iis, quae dicta sunt hactenus, satis apparet, antiquitatis studia non minus in ceteris populis christianis, quam inter Anglos Germanosque floruisse, placet tamen breviter significare, quid de *Gerberto* abbate (qui idem postea Silvester papa II. fuit) memoriae traditum sit. Qui cum in Aquitania litterarum studia inchoasset, ob insignem animi indolem in Hispaniam missus et Hattone episcopo moderante excultus ac perpolitus, postea in Galliam redux scholae monasterii Remensis, ad quam tantum studium Adalbertus ille impenderat, magna cum gloria eventuque felicissimo praefuit. Ipse autem, ut Richerius narrat, Aristotelem explicabat et Ciceronem et Vergilium et Statium et Terentium

et Juvenalem et Persium et Horatium et Lucanum idque ea laude, ut non modo per Galliam, verum etiam per Italiam et Germaniam nobilitatus plurimos adulescentes fama ipsa Remos acciret (cf. Hoefler, Die deuschen Paebste I. p. 292).

Quid de *Anselmo* summae auctoritatis viro dicam? Qui ad Mauritium adulescentem religiosum scribens, qui ab ipso grammaticam didicerat ac tum alio praeceptore studia litterarum persequebatur, ei auctor est, ut Vergilium aliosque veteres tam assidue atque constanter, quam caute ac prudenter lectitare pergat, usquedum eorum explicandorum artem usumque comparavérit.

Quae cum ita sint, licet profecto repetere id, quod supra diximus, atque asseverare *veterem constantemque* fuisse consuetudinem Ecclesiae, ut antiquorum scriptis erudirentur adulescentes. Quod autem proximis deinde saeculis discentium ardor ita refrixit, ut excitatum saeculo quinto decimo studium recens atque inauditum videretur: *Ecclesia* multum afuit ut illo ardore restincto errorem sublatum sibi gratularetur. Ut taceam synodos provinciales permultas, Viennense quoque concilium generale restitui scholas monasteriales in eisque praeter theologiam « scientias primitivas » tradi jussit. Quas « scientias primitivas » *Benedictus* papa XII., quo regente illud concilium erat habitum, linguarum et philosophiae studia interpretatus est. Quae autem in publicis huiusmodi conventibus vel praecepta dabantur vel querelae audiebantur, ex eis facile cognoscitur, cetera omnia cum litterarum studio elanguisse ; quod autem ardor pristinus scholarum

a synodorum patribus commendatur et excitatur, nulla dubitatio est, quin et omnis pristina institutio et antiquitatis studium ab eisdem comprobetur; nisi enim ita sentirent, hanc reprehendendi occasionem sibi elabi nunquam paterentur.

Qui igitur fieri potuit, ut in *Tridentino* Concilio id agi vetaretur, quod et clarissimi Ecclesiae Patres laudassent et laudatissimi Pontifices Romani fovissent et sanctissimi episcopi abbatesque propagassent et universa christiana antiquitas perutile iudicasset? Qui explicari poterit, quod *post* illud concilium habitum tota catholica Ecclesia, cum ceterorum esset observantissima, illud unum praeceptum prorsus neglexit? Nonne hunc scrupulum iniici necesse fuit illius opinionis auctori, cum verba Concilii repperisset? Quae ipsa si cum ceteris eiusdem contulisset praeceptis, non dubitamus, quin ea non aliter ac nos intellecturus fuerit. Sunt autem ex regula septima Indicis deprompta, quae est huiusmodi:

« Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur; et qui eos habuerint, severe ab Episcopo puniantur.

Antiqui vero ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris praelegendi sunt. »

Nonne evidens est, in altera regulae parte eiusdem generis libros intellegi atque in priore, tales, inquam, ethnicorum libros, « qui res lascivas seu

obscoenas *ex professo* tractent, narrent, doceant»? Audiendum est ad haec verba : « antiqui ab Ethnicis conscripti » substantivum s. subiectum, addendumque est ex superioribus ; quo iure igitur illud « libri » solum repetitur, omittitur autem « qui res lascivas seu obscoenas... »? Non enim potuerunt ii, qui istam regulam scripserunt, libros *omnes* antiquorum designare, nisi omnes in illo genere lascivorum esse existimabant. Quo quid potest esse minus verisimile, quam Romae tantam fuisse litterarum antiquarum ignorantiam? Quodsi vel concilii patres vel Romanus pontifex tantam tamque late patentem omnium inter christianos scholarum emendationem efficere voluissent, maius quiddam profecto opus fuisset, quam ista appendicula alicui regulae Indicis adiuncta. Denique si ulla resideret in animo dubitatio, iuris illa norma adhibenda esset, consuetudinem communem atque imprimis legislatoris ipsius usum esse optimum legis interpretem. Atqui tum ipsum, cum vigere praecepta Indicis coeperunt, et Romae et aliis locis plurimis puerorum seminaria ex concilii praecripto condita sunt. Quid igitur? Nonne in iis omnibus adulescentes ad ordinem sacerdotalem informandi ethnicis sunt instituti litteris? An ulli vel Romano pontifici vel episcopo in mentem venit, an vel Indicis congregationi vel legum a S. Sede constitutarum cuilibet defensori illud occurrit, more illo communi violari huiusmodi decretum?

Dices, si id ita interpretandum sit, ipsam lenitatem offensioni esse. An libri, inquies, qui lasciva ex professo tractant, in scholis vetantur, ali-

ter permittuntur? Permitti omnino eos Ecclesia voluit in foro *externo;* num eos legere in conspectu Dei liceat, id quidem conscientiae cuiusque committitur. Neque enim lex *naturalis*, qua pericula peccandi vitare iubemur, unquam tollitur. Sed quoniam non aequale omnibus in illis libris lectitandis periculum et aliqua litterarum utilitas est, legem *positivam* Ecclesia in his valere noluit, sed decerni a privatis voluit, possintne tuto in huiusmodi lectione versari.

At ex illa ipsa lege naturali novam criminandi occasionem capiunt. Dicunt plenos esse scriptores ethnicos *lasciviae atque obscoenitatis*, iisque locis omissis *augeri* periculum peccandi. Quibus de libris veterum loquimur? An Aristophanis comoediae aut Ovidii de amore libri leguntur in scholis? Satis est vel meminisse eorum librorum, quos in puerorum institutione usurpari scimus, ut futtile crimen obiici intellegamus. Leguntur enim e Graecis Xenophon, Thucydides, Platonis aliquot dialogi, Demosthenes, Plutarchus, Homerus, Sophocles, postremo Euripidis aliquot aliquando tragoediae; ceterorum scriptorum selecta quaedam adhiberi solent. Pleni igitur hi sunt lasciviae atque obscoenitatis? Paucissimos Homeri locos si excipias, ullane in illis omnibus vel lascivia vel obscoenitas? Sunt aliquot loci, apud Xenophontem potissimum, ubi vitia, quae scriptor reprehendit, ea verborum proprietate significantur, quam nostra non ferat consuetudo; sed id si in gentilibus legendis periculum est, quis tandem animum induxerit, ut Patres pueris legendos proponat? Deinde Latini in scholis toto orbe legi consueverunt

Cornelius Nepos, Caesar, Livius, Cicero, Tacitus, Sallustius, Phaedrus, Ovidius, Vergilius, Horatius. Iam Ciceronis aliquot epistulas si excipias, vix quidquam in rerum scriptoribus atque oratoribus reperias, quod non dico turpitudinem, sed vel aliquam habeat offensionem maiorem ea quam in Graecis vidimus. Reliqui sunt poetae : Ovidius, Horatius, Vergilius. Atque hic postremus, si universa eius opera spectes, is est, qui moribus quoque puerorum aliquantam afferre utilitatem possit. Excipiendae sunt aliquot eclogae et Aeneidis liber quartus; ubi tamen res turpes ita tractantur, ut ne illorum quidem doctorum providentia, qui emendatos antiquos ediderunt, in Vergilio quidquam aut mutatum sit aut omissum : in scholis praeterire quartum Aeneidis librum illasque eclogas satis habebant. Iam vero Ovidii et Horatii, lasciviorum poetarum, quos cum recentioribus comparandos dixerim, selecta purgataque opera in scholis usurpabant.

Atque hoc loco quaeritur, huiusmodi *cautio* utilisne fuerit, an potius perniciosa. Curiositatem exstimulari aiunt et pleniorum editionum comparationem adduci. At primum si illa aetas attenditur, cum eiusmodi editiones conficiebant, non erat tum ita facile, ut est hodie, integra antiquorum opera comparari ab adulescentulis; et ne nunc quidem tantum est periculum, quantum putatur. De iis enim scholis loquimur, in quibus pia vigeat et religiosa educatio; quae ubi desideretur, frustra cetera omnia provideas. Illam autem adulescentiam et naturalis pudor semper comitabitur et verecundia legum divinarum iuvabit. Verum id

quidem est, hac quoque ratione instructam, praesertim ea aetate, cum gymnasium frequentet, eiusmodi periculis obiectam esse; verum est, inquam, adulescentem ad christianam pietatem educatum, si in iis libris, quos in *manibus* habet, res lasciviores invenerit, tentari, ut in iis commoretur, et tentatione si superetur, non raro in omnem turpitudinem induci. Neque vero minus verum est, nisi pudor in eo paene extinctus Deique timor emortuus sit, eum non facile moveri, ut obscoenos libros *consilio* quaerat.

At sunt eiusmodi adulescentes in scholis nostris! Sunt sane; sed quicumque sunt tales, non latinos graecosque, sed *patrios* scriptores requirunt. Apud librarios et in bibliothecis communibus, immo vero, id quod vehementer dolendum est, in privatis patrum suorum armariis et in matrum sororumque abacis eos inveniunt libros, e quibus bibant atque hauriant illud dulce venenum, cuius guttulas exsugere e graecis latinisque scriptoribus aegerrime possint. Non enim huiusmodi alumni in veterum linguis ita valde proficere consueverunt. De qua re suo quisque usu edoctus iudicet. Sexcentorum adulescentium accuratissime vitae rationem omnem cognovimus; nonnullos pervolutandis libris obscoenis periclitari repperimus; neminem unum Graecorum Romanorumque scriptis in flagitium labi vidimus. Atque ad testimonia provocare non dubitamus omnium eorum, qui ea necessitudine adulescentibus coniuncti fuerunt, ut, quae sint verae morum corruptelae, minime ignorent.

At gravius illud crimen est, quod ipsi unum

omnium gravissimum putant, affirmantium « lectitandis libris antiquis adulescentes a *christiana pietate abalienari* ». Quid ita ? « Quia isti a gentilibus profecti ipsi sibi conciliaturi teneros animos atque a religionis christianae salute ac virtute avocaturi videntur ».

Quae accusatio nisi refutata erit, ne licebit quidem antiquos legere in scholis christianis. Nos quoniam non modo id licere atque ob certam quandam temporum condicionem requiri, sed etiam bonum esse atque honestum et adulescentibus instituendis tam salubre quam necessarium defendimus, priusquam confutare accusationem aggredimur, de utilitate multiplici studiorum « classicorum » pauca dicenda esse arbitramur ; deinde, ubi morum honestatisque christianae mentio iniecta erit, adversariis respondebimus.

Illud nemo dubitat, quin christiani quoque adulescentes linguis antiquis artibusque liberalibus instruendi sint; quaeritur, cur ad id *gentiles* potius quam Patres Ecclesiae adhibeantur. Nulla alia de causa, nisi quod hi illis et *argumento* et *dictione* minus sunt idonei. Iam vero ab illo viro clarissimo sic occurritur : « Si alii sunt scriptores, qui latinitate non mala utentes iucunde atque adeo suaviter ad ea alliciant ducantque adulescentium animos, quae ipsis ad omnem vitam gravissima sanctissimaque videri debent, haud scio an nihil sit, cur antiquis illis postponantur ; atqui SS. Patrum lectio huiusmodi utilitatem non contemnendam affert ».

Sed *latinitatem* quidem plus quam « non malam » desideramus ; egregiam dictionem atque ad

artis perfectionem omnibus numeris perpolitam omniumque generum specimina quaedam requirimus. Quodsi integritatem illam optimi sermonis omitteremus atque Patrum vel latinitate vel graecitate, quae aetatis ipsorum dicendi scribendique consuetudinem adumbrant, contenti essemus : num sunt in horum scriptis talia, quae *artis* ipsius absolutione cum « classicis » comparanda sint ? Ut non negem S. Hieronymi vitas atque epistulas in Cornelii Nepotis et Ciceronis locum subdi cum utilitate posse : quos historicos pro Xenophonte, Thucydide, Caesare, Livio substituemus? Ubi epica carmina et lyrica et tragica, quibus legendis facile careamus Homero, Vergilio, Horatio, Sophocle? Praetermisi oratores, quia sine dubio Patres aliquot exemplo esse posse adulescentibus opposueris. Qui nec exsularunt nec exsulant a scholis catholicis. Apud Iesuitas regula est huiusmodi concepta verbis (Rat. stud. reg. prof. rhet. 13) : « inter classicos iure optimo SS. Nazianzenum, Basilium et Chrysostomum reponendos esse », explicanturque horum orationes etiam hodie in multis Galliae scholis. Quibus e Latinis S. Leonem adiungendum dixerim. Nihilominus, cum summa in hos maximos viros reverentia atque admiratione afficiamur, persuadere nobis non possumus, eorum orationes dictionis elegantia pares esse illis antiquis. Viget in eis sane granditas quaedam religionis christianae, viget eloquentia insignis ac vehemens ; at factum est quibusdam rationibus, quas hoc loco commemorare nihil attinet, ut tantum vel operae vel assiduitatis in ista opera non contulerint, quantum ad artis absolutionem,

dictionis integritatem, pulchritudinis perfectam speciem effingendam oportuerat. Reperias passim locos egregie ac luculenter expressos, sed in paucissimis orationibus eam rerum dispositionem certamque descriptionem, sine qua consistere artis perfectio nullo modo possit ; quod si quando universae orationis quadrandae industria cernitur, partium plerumque accuratio desideratur. Sufficit enim ipse impetus animi veritate percussi et vehementer commoti ad unum alterumve locum copiose nervoseque tractandum ; sed ad finem artis non pervenitur nisi diligentissima universae materiae dispositione et minutissimae cuiusque partis expolitione.

Sunt his nostris temporibus pii quidam viri iidemque nescio quo errore illigati, qui religione prohibeantur, quominus in gentilibus *quidquam boni* libenter agnoscant (in quorum numero multum abest ut eum virum ponamus, quem supra disputantem induximus). At considerari oportet, non omnia gentiles naturae munera nec omnem Dei gratiam amisisse, et posse fieri, ut iis christiani in humanis rebus doctoribus recte utantur. Minor fuit antiquorum scientia, sensusque minus vel purus vel honestus ; at iidem id, quod sciebant ac sentiebant, expresserunt luculentius, quam id unquam contigit scriptoribus christianis. Cuius rei fortasse haec causa fuit, quod materiem religio christiana subministrat tanto sublimiorem et ad complectendum atque effingendum difficiliorem. Attollere enim Deus animorum nostrorum vires atque ita illustrare supernaturali lumine voluit, ut multa vera antiquis ignota perciperemus ; virtu-

tem voluntatibus addidit coelestem, ut ad veritatis normam vitae rationes conformaremus; sed arte nos insigniore locupletare, ut videtur, noluit. Verum quidquid id est, nemo aequus iudex rem aliter se habere affirmaverit, et omnium saeculorum constat testimonio : nec SS. Patres, qui id minime spectarent, nec posteriores scriptores christianos, cum id summo opere studerent, illud assecutos esse optimum dicendi genus, quod in « classicis » admiramur. Iam vero exploratum est, cum ad artem instituas, quam absolutissima exemplaria seligenda esse. Idem enim in hac re quod in vita usu venit, ut pueri vitia citius imitentur quam virtutes, ac perfecta pulchri species mentibus matureim primenda est. Denique, quisquis usu perspectum habet, quo prima aetas inclinet, is nugarum me non insimulabit affirmantem, difficile fore in iusta SS. Patrum observantia adulescentes continere, si res quidem ab illis tractatas praedicaveris, sed ipsam earum tractationem non raro vituperaveris atque adeo pueros vituperare docueris.

De elocutione et arte diximus; quid ipsa *materies*, num ad instituendos pueros idonea est? Non existimo. Scripta enim illorum plurima vel in subtili S. Scripturae explanatione vel in confutatione errorum cuiusque temporis versantur. Illa hic in controversiam non veniunt ; manifestum id quidem. In his autem Patres modo alta speculantes doctrinam christianam adversus gentiles explicant ac tuentur, modo argutias errorum temeritatemque haereticorum consectantur. Et huius quidem generis opera adulescentibus non modo

iniucunda essent, verum etiam periculosa; quos vicissim inducere in illas subtiles excelsasque disputationes, tam alienum iudicamus, quam illum morem quorundam explicandi Ciceronis aut Platonis quosdam dialogos iis adulescentibus, qui ad philosophiam instituti nondum sint.

Habemus omnino homilias s. sermones, quibus Patres Scripturam ad sensum vulgarem explicant, aliaque opera nonnulla, quibus doctrinam christianam plane ac facile edisserunt. Haecine igitur illa sunt scripta, quibus « iucunde atque adeo suaviter ad ea alliciantur ducanturque adulescentes, quae ipsis ad omnem vitam gravissima sanctissimaque videri debent»? Quod in ea fortasse opera cadit, quibus artes litteraeque vel res gestae vel vitae consuetudo describuntur, cuiusmodi sunt aliquot Patrum epistulae vel libelli, cum in plerisque libris de *religione* « ex professo » agant.

Absonum sit autem atque absurdum, de *religione* scripta in scholarum consuetudinem deducere. Quid enim? Num pueri ea, quae legerunt, materiem tantum eiusmodi existimare debent, cui impressam artis speciem *solam* contemplentur? Nonne res ipsas ab iis intellectu conspici et, si ad religionem spectant, animo quoque hauriri oportet? Ergo paene totos dies vel in schola vel extra in cogitationibus sensibusque religiosis occupati erunt: quod quidem tantundem erit onus scholarum alumnis impositum, quantum Ordinum contemplativorum conditores suis iniungunt familiis. Nobis autem non religionum tirones educandi, sed pueri adulescentesque instituendi sunt, qui et nunc in saeculo vivunt et maxi-

mam partem postea vivere pergent : a quibus non plus exigi quam a piis christianis saecularibus oportet. Quid hoc? Ut, postquam primum cuiusque hebdomadis diem Deo consecrarint, ceteris omnibus negotia capessere liceat, dummodo ea recto suscipiant consilio animosque ita habeant ad Deum erectos, ut labores honeste persequi atque perficere possint. Versantur autem sicut in muneribus adulti, ita in litteris pueri, quas eadem fere pietate sacrari satis erit.

Nostro autem instituto non est alienum, quae olim ad colendam *pietatem* subsidia usurpari solita sint, breviter significare. Itaque dominicis festisque diebus praeterquam quod rei divinae separatim intererant, vel contionem audiebant vel piam lectionem, partim eorum etiam in congregationum conventibus officia pietatis obibant. Profestis autem diebus vel ante scholam vel post eam sacro adesse iubebantur ; ipsa schola precando incipiebatur atque claudebatur ; semel in hebdomade magistri suos quisque discipulos oratione aliqua cohortabantur, eratque eis praescriptum, ut, quotiescumque inter docendum aut colloquendum opportuna occasio esset, illos ad pietatem excitarent ac propellerent monerentque imprimis, ut cotidie pio aliquo libro lectitando animos mentesque tantisper ad divina erigerent. Satisne fuit, ut vitam agere christianam laboresque pietate christiana consecrare Deo atque dicare discerent?

Iam vero constituta educatione religiosa requiritur, ut iis libris in scholis utamur, e quibus praeter eloquendi artem quam plurima pueri vitae

posthac agendae utilia discant. Quis igitur dubitabit, quin ad id consequendum aptissime asciti sint classici? A quibus vix animadvertentes instituuntur de rebus plurimis ad vitae consuetudinem id oneis; in cognitionem veniunt, id quod doctorum omnium magnopere interest, antiquitatis; mores discunt, ingenia, instituta populorum; religiones cognoscunt, bella, artes, fabulas, sapientiam, virtutes, vitia; postremo fortuna his omnibus consentanea quae consecuta sit, vident. Obversantur eis duo saecula longissime dissita, unum praesens, in quo ipsi vivunt, alterum toto christiano aevo antiquius, in quo animis tam saepe tamque assidue habitant; quae comparatio dici non potest quantum ad excolenda ac locupletanda ingenia valeat. Atqui litterarum antiquarum tractatio inopinantes ea auget notitia eisque instruit iudiciis, ad quae mera institutione archaeologica atque historica frustra annitare.

Atque haec de naturali *ingenii* cultura dicimus, quae contemnenda profecto non est, nec tamen sola est necessaria. Quid vero? Nihilne praeterea discimus ab antiquis? Supra negavimus moribus detrimentum aut periculum a Xenophonte, Demosthene, Sophocle, itemque Vergilio et Cicerone ullum afferri, nunc plus affirmamus atque asseveramus: horum scriptorum studium *utilissimum esse moribus atque honestati.* Quod cum dicimus nihil aliud asserimus nisi quod multo ante SS. Basilius et Augustinus (ll. cc.) pronuntiarunt. Nec difficile sit, modo a falsa illa opinione, quae inter protestantes « orthodoxos » pervulgata est, nimum revocaveris, idem tibi persuadere. Est au-

tem hic ille error existimantium, eam honestatem naturalem, quam raro in vitis, at crebro in libris gentilium maximeque « classicorum » deprehendimus, non modo imperfectam, verum etiam christianae virtuti contrariam esse. Quae opinatio cum illo Lutheri errore coniuncta est, peccato originali naturalem animi vim boni cognoscendi atque amandi non solum enervatam, sed etiam sic, ut supernaturalia dona penitus exstinctam esse. Quapropter, sicut quidam theologi (de quibus infra dicemus), cum negant hominem naturali vi ingenii quidquam posse de Deo divinisque rebus demonstrare, ad istam Lutheri haeresim accedunt : ita illi nobis reprehendendi refutandique sunt, qui naturalem veterum honestatem a christiana prorsus alienam esse censent. Ianseniani ausi sunt etiam vitia appellare gentilium virtutes omniaque ab eis facta peccata dicere ; quem utrumque errorem Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII condemnarunt.
Errant saepe veteres in moribus ac delirant ; esto ; carent ea sanctitate, quae e fide, spe, caritate christiana proficiscitur ; at non continuo falsa sunt ea, quae de quibusdam virtutibus docent. An Demosthenis adversus levitatem, mollitiem, ignaviam suorum civium declamatio adulescentem ad strenue agendum non exstimulet animumque eius non confirmet ? Xenophon autem quae de castitate, temperantia, pietate etiam Persarum narrat, quae idem Socratem cum discipulis colloquentem facit, ea non afficiant mentes puerorum ? Ciceronis ardor praedicantis vim dignitatemque virtutis, vel exagitantis atque impugnantis principum aequalium vitia, vel deplorantis ac miserantis rem-

publicam ista improbitate pereuntem, non commoveant lectorem christianum, non incendant? Nihil sentiat, cum Sophocles et Vergilius virtutis speciem ac robur, vitii autem turpitudinem vel suavissime praedicantes vel acerrime castigantes describunt atque depingunt? Est profecto, est virtus quaedam naturalis eaque vera virtus, qua, quia naturae est consentanea, nemo homo non afficitur. Neque enim tollit atque delet, sed erigit ac perficit gratia naturam.

Sed quoniam S. *Augustini* auctoritate supra usi sumus (qui quidem, ne pluris fierent praeclare atque honeste facta gentilium, monuit acrius fortasse quam ceteri), eodem summo Ecclesiae doctore ducente paullo etiam longius progrediamur. Qui ut persuadeat, adulescentes christianos antiquorum litteris imbuendos esse, hanc praeter ceteras affert rationem, quod ad christianam doctrinam locupletandam atque amplificandam multa e gentilium libris mutuari liceat. Nam ut Aegyptii non solum idola possederint, abominanda Israelitis, sed etiam aurum atque argentum, Dei iussu auferenda et in usum meliorem convertenda : sic libros gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habere, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima continere deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera significare. Quod eorum tamquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerint, sed de quibusdam quasi metallis divinae Providentiae, quae ubique infusa sit, eruerint, debere ab eis auferre christianos ad usum iustum prae-

dicandi evangelii. «Nam quid aliud», inquit exempla afferens, « fecerunt multi boni fideles nostri ? Nonne aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam ? quanto innumerabiles Graeci! ».

Atque quod Augustinus de Providentia praedicat, ubique infusa et vera nonnulla etiam inter gentiles tuente, quanto id acrius *Iustinus* defendit (apolog., passim(, cum in Socrate aliisque gentilibus Verbi divini vim lumenque illud, quo omnis illuminetur homo in mundum veniens, cerni diceret ! Ergo vera etiam divinitus manifestata in gentilibus inveniuntur, nec studium eorum, quae scripserunt, sua ad morum honestatem doctrinamque proprie christianam utilitate caret.

Testis est enim ipse Augustinus, Ciceronis lectionem quoddam principium sibi salutis fuisse. Legebat undeviginti annorum adulescens illius Hortensium, de quo quid dicat (Confess. 3, 4), audiamus : « Discebam », inquit, « libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanae ; et usitato iam discendi ordine perveneram in librum quendam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, *pectus non ita.* Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur Hortensius. *Ille vero liber mutavit affectum meum et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas et vota ac desideria fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sa-*

pientiae concupiscebam aestu cordis incredibili et surgere coeperam, ut ad te redirem... Non enim ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed quod loquebatur persuaserat. *Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam revolare a terrenis ad te,* et nesciebam, quid ageres mecum ! Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiae nomen graecum habet φιλοσοφίαν, quo me accendebant illae litterae. Sunt qui seducant per philosophiam, magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos, et prope omnes, qui ex illis et supra temporibus tales erant, notantur in eo libro et demonstrantur, et *manifestatur ibi salutifera illa admonitio Spiritus tui* per servum tuum bonum et pium : Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem... (Col. 2, 8). Et ego illo tempore (scis tu, lumen cordis mei, quoniam nondum mihi haec apostolica nota erant) hoc tamen solo delectabar in illa cohortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam quaecumque esset sapientiam ut diligerem et quaererem et assequerer et tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo et accendebar et ardebam ; et hoc solum me in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Christi non erat ibi». Platonis vero libros lectitantes quot omni aetate ad christiana sacra amplectenda perducti sunt !

Atque hic ad illud, quod supra diximus, respondendum est. Classici, inquiunt, gentilibus imbuti erroribus, animos ad se trahunt adulescentium et a *pietate avocant christiana*. Hoc dicunt, opinor : Etsi est honestas aliqua et divinarum re-

rum notitia in illorum libris, spirant tamen iidem humanum sensum atque terrestrem et blandimentis quibusdam artis sic ornant, cohonestant, pingunt bona mundana, ut alliciantur, decipiantur, abripiantur ad hanc vitam, futuro praemio virtuteque christiana neglecta, toto pectore amplectendam adulescentes. Quod est sane periculum idque inevitabile, si ita classici leguntur, ita tota instituitur schola, ut *hodie plerumque fieri videmus*. Neque enim emolumenta illa, quae diximus consequi neque hoc periculum declinare possumus, nisi institutionem educatio diligens vereque christiana comitatur, ipsi autem magistri animo christiano legunt veteres explicantque discipulis. Quod si fit, non solum illud periculum non timemus, sed speramus fructum studiorum diversum, eum quidem, ut cognitis antiquis adulescentuli et mundanam gloriam atque pompam despicere et christianam veritatem, pietatem, consuetudinem magni facere discant. Etenim idem illud, quod viro litterato pervestigata antiquitate sua sponte occurrit ac plane persuadetur, adulescens quoque et potest et debet lectitando quasi delibatum gustare. Quid istuc ? Quamvis pulchra, bona, praeclara sine Christo humanum genus sit adeptum, nihil tamen horum eo valuisse, ut a condictione abiectissima et depravatione turpissima vindicaretur. Quid enim ? Nonne cum multa atque praeclara de Deo deque virtute disseri ab illis antiquitatis sapientissimis audierit, in iisdem errores opinionumque commenta deprehendet eiusmodi, a quibus tamquam monstruosis atque insulsis sensus christianus refugiat ? Praeterea cum christia-

num illud praeceptum, virtutem non utilitatis aut gloriae causa, sed per se ipsam diligendam, ac divinae maiestatis reverentia, quam offendisse gravius sit, quam poenis addici inferorum, appetendam atque exercendam esse a Cicerone didicerit, nonne eiusdem occurret haec confessio, nec se nec bonos omnes ad amplectendam virtutem nisi posteritatis existimatione commoveri ? Age vero, quotusquisque est tandem, apud quem ista praeclara inveniat ? An eum fugiet, et alios plerosque eruditos fabulas sparsisse in vulgus, et hoc ipsum in deorum cultu ac flagitiis demersum iacuisse ?

Verumtamen esto, eas, quae natura insitae sunt homini de religione atque honestate notiones, reppererit : ubi mysteria *supernaturalia*, in quibus christiani hominis spes tota posita sit? An alia nisi incerta vestigia apparebunt ? Nam quid ego illud commemorem, nec Platonem nec Ciceronem nec Sophoclem satis certo intellexisse, quae futura esset condicio suprema hominis? Quos qui flentes ac lamentantes interitum gloria, magnificentiae, amplitudinis atque ingenue dolentes, quod nihil fixum perpetuumque intenta animi perquisitione deprehendant, postremo quasi desiderantes atque flagitantes pacem veram et libertatem et salutem audierit, haec omnia inquam, qui mentis contemplatione amplexus erit, quid sibi existimandum esse statuet ? Videbit enim duos politissimos antiquitatis populos omnia consecutos, quaecumque per se ipsum efficere genus humanum possit, nec aut ingenii acie aut agendi industria aut etiam studiorum ardore atque honestate carentes tamen nec doctos habuisse a turpissimis erroribus liberos

nec cives veritatis lumine beatos, honeste vivendi robore instructos, de peccatorum venia securos, aeternae vitae spe confidentes. Quanti igitur ab illo aestimari christianae religionis beneficia necesse est, quae ingeniorum dubitaiones dissolvit, desideria explet animorum, denique luminis copiam roburque caeleste per omnes hominum ordines dispertit ! Quam rectam quamque sibi constantem summae veritatis notitiam, quam generosa studia, quantam in vita virtutem, quantam in morte tranquillitatem, quoquoversus usque in rusticulorum tuguria circumspiciens, animadvertet ?

Atque haec omnia ut nullae satis certo persuadebunt scholae historicorum nec Bossuetii poterit philosophia atque eloquentia manifesto demonstrare, ita ipsa facile consuetudo classicorum tanquam ob oculos posita ostendet, modo ne magistri potius magnificis meditationibus acutisque disputationibus instruant, quam aptis significationibus, brevibus admonitionibus, denique ipsa docendi ratione atque temperatione ad id persuadendum utantur. Apparebit, quam sint miserandi gentiles, qui huius vitae illecebris capti vel omnem turpitudinem prae se tulerint vel animi vacui inopiam luctumque ipsi sint confessi.

Interest autem plurimum ad commune Ecclesiae bonum, quae fuerit gentilium condictio atque fortuna, vulgo intellegi, atque hanc ipsam aliquam fuisse causam arbitramur, cur ii, qui ad occidentem evangelium attulerunt, studium classicorum passim constituerent. Conservandam esse censuerunt inter christianos memoriam antiquita-

tis paganae, ut manerent monumenta, unde et generis humani imbecillitas cognosceretur et de christianae doctrinae excelsitate existimaretur. Annon populus romanus hodie, cum rudera videt ingentia per urbem agrosque sparsa, quasi praeconia quaedam perpetua audit et fragilitatis potentiae humanae et viriditatis segetis christianae? Quibus praeconiis haud scio an nemo, qui quidem in Christum credat, possit non commoveri. Nam in illam urbem quidquid erat in orbe paullo insignius, congerebatur; e Capitolio iura dabantur gentibus subiectis; civitas romana iter per maria ac provincias aperiebat; aedificia ibi Asiae Africaeque opes exornabant, dies festos deliciae peregrinae cohonestabant, postremo ars ac sapientia Graecorum illi opulentiae rerumque omnium abundantiae cumulum addebant. Ita et lenocinia vitae et potentia dominationis et amplitudo gloriae et fructus industriae et ingeniorum opera illis concludebantur moenibus. At eadem sunt monumenta fragilitatis, quae magnitudinis. Conciderunt, iacent! Illud imperium, cuius aeternitatem superbi praedicabant, brevi post tempore eversum, potentia collapsa, opulentia disiecta, artificia a barbaris comminuta, sapientia denique crucis praeconio explosa est.

Iam vero huic simulacro magnificentiae humanae gloriaeque deperditae comparata divina Ecclesiae institutio quanta quamque excelsa videbitur! Quae nulla humana scientia aut potentia condita est, nulla vi aut astutia propagata, nulla gratiae popùlaris ambitione stabilita; cuius monumenta victoriae, undique circumdantia reliquias

gentilitatis atque in annos singulos aucta ac renovata, triumphi perpetuitatem designant; quae imperio non solum populos humanitate cultos complectitur, verum etiam immanissimas nationes suo regno spirituali effecit idoneas! Atque haec potestas viguit aliquot iam saeculis diutius, quam illud stetit mundanum imperium; impugnata est errorum tenebris ac vitiorum feritate; impugnata vi, proditione, calliditate, adiuta, proximis praesertim temporibus, nulla re alia nisi suis opibus caelestibus. Aeternitatis illa spes, qua deorum cultores gloriabantur, crucis praesentia discussa est; sed illi pollicitationi, qua Ecclesiam Deus consolatus est, fidem faciunt in dies rerum eventus. Disturbatum est romanum illud domicilium errorum, stat haec Roma christiani orbis caput, nullis temporum profligata fluctibus.

Quid ergo? Nonne ex ipsis gentilitatis reliquiis, paene obrutis christianae magnificentiae operibus, illa vox referri prophetae videtur : «Omnis caro ut foenum et omnis gloria eius tamquam flos foeni; ortus est sol; exaruit foenum et flos eius decidit verbum autem Domini manet in aeternum. » Quae cum ita sint, qui rudera illa domorum, templorum, balneorum, theatrorum contemplatus de lautitia luxuriaque gentilium recordatus erit, si idem in propinquo aedes sacras christianorum, martyrum sepulcra, sanctorum domos, tot alia pietatis christianae monumenta conspicatus paullum secum ratiocinatus erit : num voluptatum memoria mundanarum vehementius, quam repraesentata christianae virtutis ac fortitudinis specie commovebitur? At id fieri tamen videmus. In quibus

hominibus? Illis profecto impiis litteratis, illis artificibus dissolutis, illis hominibus voluptuariis, quos sciendi curiositas inanis, artis admiratio profana, voluptatis turpe desiderium stimulent, ut loca omnia invisant atque pervagentur. Iam vero eadem est ratio eorum, qui in libris versantur antiquorum. Nam magistri et discipuli si nihil ad studium litterarum afferunt nisi scientiae curiositatem et ostentationem, aut artis futtilem admirationem, aut voluptatis titillationem, horum sane animos gentiles illi sibi devinctos tenebunt et a christiana religione avertent. At si qui adulescens, ad pietatem educatus, bene morato praeceptore ad antiquitatem cognoscendam accesserit, is eundem ex librorum lectione fructum percipiet, ac si eodem duce urbem Romam peragrans et diruta gentilitatis monumenta contemplans, quid clamare videantur, attente consideraverit, nec sola illa opera, verum etiam adiuncta loca sacra christianorum pie precando adierit.

IV.

DE UNIVERSITATIBUS LITTERARUM.

Eo consilio paene omnes mittuntur ad universitates, ut illius disciplinae studio, qum quisque amplexus sit, certo vitae generi idonei instructique evadant. Itaque hoc imprimis propositum esse debet artium doctoribus, ut alumnos ea parte doctrinae imbuant, qua cuique ad vitae usum opus sit. Sane quidem non hoc unum spectandum videtur. Oportet enim in huiusmodi domiciliis artium litterarumque omnem iuvari humanitatem, et sunt ad id efficiendum plura, quam in separatis academiis s. facultatibus, subsidia. Sed quamquam ob eam causam universitates non sunt cum scholis vulgaribus aequandae, tamen iure postulaveris, ut earum constitutio praesenti plurimorum auditorum utilitati accommodata et recte tradendis studiorum partibus idonea sit. Atque hoc unum pro instituto nostro diligentius considerabimus. Itaque primum de *studiorum descriptione s. divisione*, deinde de *doxendi genere s. ratione* dicemus.

Occurrit autem prius illud spectantibus imprimis THEOLOGIA, de qua nunc sola agemus. Cuius studium quam fuerit in sholis veteribus ab hoc nostro diversum, ipsa partium s. locorum dispertitio ac circumscriptio demonstrat. In multos enim nuper locos doctrinam sacram distribuerunt, de

quibus singulis, a compluribus fere doctoribus, per unum alterumve annum scholae habentur. Quod contra fiebat pridem. Una enim schola erat, quam simpliciter theologiam vel theologiam scholasticam appellabant, qua tum universa Ecclesiae doctrina perpetua enarratione tradebatur; praeterea subsidiariae quaedam de partibus theologiae praelectiones erant non frequentes; quas plerumque suo cuique arbitratu adire licebat.

Iam vero illa theologiae schola a duobus praeceptoribus, matutino et vespertino, interdum a tribus, per totum studiorum curriculum annorum quattuor habebatur. Sequebantur autem fere S. Thomae Aquinatis Summam, e qua de illorum studiorum ratione existimari facile potest. Obiectum, inquit, s. argumentum theologiae, ut nomen declarat, Deus est; nam etsi de homine quoque, de Christo, de Ecclesia agitur, tamen ad Deum omnia referuntur. Consequens est, ut prima parte Deum esse et qualis sit demonstretur tractetur-que de SS. Trinitate deque creatione mundi. Altera de moribus praecipitur, ut, qua via homo ad Deum, finem bonumque suum supremum, tendat, intellegatur; qua disputatione absoluta disserendum est de hominis natura, appetitibus, cupiditatibus, de virtutibus ac de vitiis generatim, de lege, conscientia, gratia. Sed quoniam parva est utilitas huius praeceptionis, nisi ad actiones singulas transferatur, in secundae partis altero quasi membro de singulis et vitiorum et virtutum generibus fuse disputatur. Tertia pars redemptionis opus amplectitur estque de redemptore, ut S. Doctor loquitur, eiusque beneficiis; ostendendum est,

quibus subsidiis homo, postquam fine excidi suo, eundem rursus attingere, et quo duce in viam, a qua declinavit, redire possit. Atque hic temporis ordine incarnationis Christi, vitae, passionis, glorificationis mysteria edisseruntur; deinde ad Ecclesiam, sacramenta, novissima oratio transfertur.

Satis dictum est, unde appareat, nihil in illa schola tradi solitum esse nisi *perpetuam continuatamque universae theologiae explanationem*. Cum enim id agerent, ut Ecclesiae doctrinam in unius disciplinae formam redactam argumentis confirmarent, in mentem non venit, ut illam in dogmaticam, moralem, canonicam dispertirent. Videamus nunc, quas partes subsidiarias asciverint. In quibus erat momenti non levis tractatus de *locis theologicis*, qui, etsi nonnumquam ipsi theologiae tamquam membrum corpori adiungebatur, tamen saepius a tertio illo professore separatim tradebatur. Nam in eo quoniam de Scripturae et Traditionis auctoritate, de Ecclesiae origine et constitutione, de Conciliis et de Primatu agebatur, paene universa apologetica et ius ecclesiasticum commune et gravissima quaeque capita hermeneuticae et patrologiae continebantur. Studiis *biblicis* scholae exegeticae fere cotidianae et aliae de hebraica lingua serviebant. In illis alternis annis vel veteris vel novi testamenti libros explicabant; sed has scholas non amplius duobus annis alumni frequentare iubebantur. Erat praeterea in amplioribus academiis, qui *controversias*, et alter, qui *canones* explicaret. Nam etsi in ipsa quoque theologia errores protestantium refuta-

bantur, tamen de eisdem separatim copiosius, non tam argumentandi subtilitate quam Scripturae ac Traditionis testimoniis agendum esse statuebant. Ista igitur ratione Bellarmini et Sardagnae controversiae natae sunt ; quod qui ignorabant, Sardagnae opere dogmaticas illius aetatis institutiones contineri existimaverunt. Optio autem dabatur discentibus, vellentne huiusmodi controversias vel canonum explanationes audire. Gravissimum est sane quidem, bene eruditum theologum summa iuris ecclesiastici praecepta et nosse et perspexisse ; sed tamen ea ipsa iis disciplinis, quas *supra* diximus, concludebantur. Illae autem Ecclesiae leges et illa instituta, quae animarum pastores nosse oportet, non poterant non attingi, ubi de moribus agebatur, at doctrinam integram omnium canonum omnisque iurisdictionis ecclesiasticae non aeque omnibus necessariam putabant.

Ergone *curae pastoralis* et *historiae ecclesiasticae* nullae scholae erant? Nullas separatim habitas esse, ex communi quidem academiarum ratione atque instituto, fatemur vel non negamus ; nihil enim ea de re compertum habemus. Sed et multa, quae ad animarum curam pertinent, copulata connexaque sunt cum doctrina de moribus, et cetera illi institutioni attribuebant, qua in seminariis alumni ad munia sacerdotum obeunda parabantur. Quodsi ulla scientia est, quam clerici, ceteris rebus rite instructi, vel e libris mutuari vel usu addiscere vel peritorum moderatione edoceri possint, certe haec ipsa est, de qua loquimur. Historiam autem ecclesiasticam quod inter scholarum disciplinas non ponebant, id quidem laudi

vertere scholis pristinis nolim; neque vero ob eam causam existimanda est in nullo prorsus numero fuisse. Etenim quaecumque historiae quaestiones ad doctrinae ipsius rationem pertinere videbantur, eas una cum illa atque aliquando longe repetentes tractabant. Privatae industriae committebant, ut tota rerum ecclesiasticarum memoria ordine cognosceretur.

Sed quoniam de antiquis vidimus, nunc quaeramus, quale hodie sit studium theologiae. Atque primum quidem *moralem doctrinam* et *ius canonicum* a corpore theologiae avulsa separatas ac proprias esse disciplinas voluerunt; reliquae parti nomen imposuerunt *dogmaticam*, quasi vero praeceptiones de moribus et de potestate ecclesiastica minus spectent ad dogma, quam ea, quae dogmaticae attribuunt. Pro una schola biblica *exegesim* veteris novique testamenti et *introductionem* in libros utriusque foederis generalem ac specialem et *archaeologiam* biblicam et *hermeneuticam* et *criticam* totidem fecere doctrinas. Nec una schola *historica* itemque *pastorali* a ceteris separata contenti fuerunt, sed natae sunt e quibusdam partibus artes novae historiaeque variae : paedagogica, homiletica, catechetica ; historiae autem Patrum, dogmatum, haeresum...

Consequens fuit proximeque coniunctum, ut studii theologici *continuatio ac perpetuitas* dissolveretur. Multum ac saepe hodie disputant, in unam rationem atque doctrinam concludendam esse theologiam, atque hac ipsa arte vicisse se antiquos gloriantur. At quamvis non simus nescii, continuandis tractatibus et quibusdam conso-

ciandis partibus nondum unius effici absolvique disciplinae speciem, qualem, ut in ceteris, ita in theologiae doctrina desiderant : tamen apparet aptiorem ad eam perficiendam fuisse pristinam quam recentiorem sacrae scientiae tradendae rationem. Nam tot disciplinarum seiunctione evidens est impediri partium comparationem, unde orta necessitas est, novam illis superaddere disciplinam, quam *encyclopaediam* appellarunt.

Quae disciplinarum varietas illud quoque adiunctum habet, ut non minus saepe in theologia quam in gymnasiis ac lyceis *subsidiaria*, neglectis primariis, multiplicentur et utilia necessariis praeferantur. Sed ad ipsam theologiam, quam ab omni sacerdote erudito comprehendi necesse est, ad quam pernoscendam opus est institutione, non pertinent nisi dogmatica et moralis et generalis quaedem canonum doctrina. Cui studio praeter cetera spatium est suum attribuendum ; deinde pro temporis diuturnitate et adulescentium ingeniis definiri oportet, quantum liceat exegeticae, historicae, practicae institutionis, ipsa incolumi theologia, inter scholasticas disciplinas assumi. Sed quae nuperrime excogitatae sunt studiorum descriptiones, in iis contra omnino factum videmus. Dogmatica enim, cum multo maximam partem positivae theologiae complectatur, in plurimis scholis duobus annis, in quibusdam etiam uno horis quinis hebdomadariis absolvitur ; exegesi octo vel novem in hebdomade horae per annos duos ac saepe tres tribuuntur. Historia quoque, ut minimum dicam, in aequo componitur cum dogmatica et morali doctrina. Nec vero ego is sum, qui summopere

utile esse ei, qui futurus sit theologus, neget fontes nosse suae doctrinae, sed necessitatis hoc unum esse arbitror, ad id studium suscipiendum bene esse *praeparatum*. Satis est, opinor, rationem proponi ac demonstrari scripturae interpretandae eamque exemplis illustrari et unum alterumve librum et veteris et novi testamenti accurate explanari. Sane dolendum sit, si qui theologus isto modo absolutum esse in perpetuum Scripturae studium sibi persuadeat; sed communi illud scholarum institutioni sufficit, cum praesertim plurimi loci iique gravissimi in praecipuis theologiae partibus copiose edisserantur. Quodsi biblicis studiis paene universam doctrinam sacram concluseris, non minus imitari protestantes videare, quam si pro catechismo apophthegmata nescio quae substitueris.

Praeterea recordari oportet, plurimas quoque minores illas disciplinas, quas diximus, aut in subsidiariis aut in iis theologiae partibus numerandas esse, quae privatae industriae committi commode possint. Nec vero repugnamus, quominus de his partibus singulis, ut sunt libri proprii, ita scholae quoque in magnis litterarum sedibus habeantur; tantum improbamus, eas inter communes omnium discentium atque discere incipientium disciplinas vel lege ipsa vel consuetudine referri, cum tamen non sit tironum profecto tantum doctrinae sàcrae ambitum studio complecti. Nec enim tempus nec vires ad id suffecerint, districtumque animum et a rebus necessariis abstrahi et ipsa varietate perturbari necesse sit. Ita nascetur etiam in universitatibus periculum minime contemnendum, ne

pro doctrina eruditio multiplex atque adeo incondita et confusa plurimarum rerum notitia comparetur.

Postremo illud quoque incommodum ex disciplinarum multitudine derivatur, ut eadem in pluribus scholis tractentur tempusque suum cuique disciplinae ac propriis cuiusque quaestionibus subtrahatur. Sunt enim multae doctrinae natura ipsa tam finitimae, ut separatim explicari nullo modo possint, quin eadem in pluribus non modo attingantur, sed explanentur. Quodsi possint, non fere consentiant praeceptores, ut iis rebus abstineant, ad quas sua sponte deducantur, et quas sua quisque ratione plerumque et considerent et docere velint. At utile fortasse est et eadem iterare et varie edisserere. Quippe ; si omnium gravissima sunt nec quidquam neglegitur necessarium. Sed hoc plerumque quaeritur, quale suae quisque disciplinae reperiat docteque excogitet *principium !* Nam librorum scriptores itemque doctores vel ex communibus theologiae notionibus vel ex ipso fonte omnium doctrinarum ad suam sibi quisque partem viam aliquam aditumque patefacere conantur, et quoniam, nos Germani potissimum, in praefando longi esse diffuseque vagari solemus, usu venit, ut saepe de « prolegomenis » plurima, pauca de dogmatis ratione disserantur. Adde quod, illae notiones communes quales sint, qua similitudine in universa theologia coniunctae, quomodo demonstrandae, minime convenit inter omnes : ita ea exsistit sententiarum discrepantia, quae ad illustrandas discentium mentes nullum afferat lumen.

Quas disputationes primas et omnino istam disciplinarum theologicarum doctissimam consociationem cum significamus minime videri nobis gravissimam maximeque necessariam, ad alteram recentioris theologiae et pristinae differentiam maximam delabimur. Quis enim non hodie opinatur, nuperrime demum theologiam in *iustae doctrinae formam rationemque* redactam esse? Quis non asseverat, pridem singula tantum religionis dogmata explicata ac probata, non eorum seriem qualis esset demonstratam, sed vel temere omnia composita vel locis quibusdam communibus ordine solutiore et ad quandam rerum similitudinem comprehensa atque conclusa esse? Itaque quae esset continuatio, qui nexus, quod principium universae doctrinae, hoc imprimis indagandum esse censuerunt atque huiusmodi institutionem scientificam sive speculativam aut solam aut praecipue appellarunt. Hocine proprie theologiae, partium praesertim dogmaticae, moralis, canonicae doctoribus propositum esse dicemus? Nonne universam sacram doctrinam, quam Ecclesiae auctoritas docet, accuratissime circumscribere et ab omni errore contrario vel aliquo modo diverso acriter secernere debebit? Nonne firmissimis argumentis e revelationis fontibus derivatis fides demonstranda atque ostendendum est, ea, quae sint ab Ecclesia vel definitionibus rite stabilita vel institutis, actis, praeceptionibus significata, cum Scriptura et Traditione omnino congruere ac temere ab haereticis impugnari? Quam circumscribendi demonstrandique rationem positivae theologiae attribuimus. In speculativa vi-

cissim intellegentia dogmatum potissimum quaeritur. Nam intellegentiae est, a fide profectae eiusdemque terminis conclusae, pervestigare dogmata ac videre, quae vis sit cuiusque, quae sententia, quae societas potissimum cum ceteris. Atque ex hoc ipso studio demonstrandi, quae sit necessitudo variorum dogmatum atque coniunctio, illud alterum *consociandi concludendique in unius disciplinae rationem universa* sua sponte nascitur.

Iam vero praeteritorum saeculorum theologi quam diligenter Ecclesiae doctrinam definierint et e fontibus theologicis eruerint, quam accurate in omni denique positiva theologia versati sint; praeterea quam alte iidem doctrinam christianam cogitatione pervaserint, quam acutas easdemque ingeniosas subtilesque meditationes de eius vi insita ac recondita proposuerint, quis erit qui neget? Nec vero minus elaborarunt illi veteres, ut dogmata specie quadam discrepantia inter se conciliarent. Verum hoc quidem est, eos parum aut nihil in eo elaborasse, ut singula ac disparata unius notionis communis quasi vinculo colligarent. Nam etsi ipse S. Thomas, uti diximus, omnes theologiae disputationes ad Deum relatas consociarat, tamen et hoc posteri minus attenderunt et nemini contigisse videtur, ut totum theologiae ambitum ratione una ac disciplina constringeret. Atque haec illa laus est, quam sibi recentiores theologi prae antiquis suo iure vindicare.

Nos porro hoc loco investigandum esse non arbitramur, verene tum demum theologia iusta

dici possit doctrina, si sit in unius disciplinae quasi corpus confusa, et ne illud quidem, possintne christianae religionis oracula, quae non una sola revelationis veritate continentur, sed plurimas res a Deo ipsius arbitratu gestas, de quibus est revelatio, complectuntur, possintne, inquam, eiusmodi effata non solum aliquo modo consociari, sed in unum quasi corpus coagmentari atque conflari. Sed assentiendum videtur existimantibus minime *expedire*, in communi usitataque institutione adulescentium tanti istam rationem fieri, ac turpiter peccare, qui positivam theologiam prae illa ita, ut moris est, neglegant. Oportet enim theologum, quocumque sit loco in Ecclesia positus, praeter cetera integram puramque Ecclesiae doctrinam pernosse et, si usus sit, suo illustrare lumine atque ab errorum tenebris discriminare ; oportet eam maxime e fontibus ipsis quasi ad historiae fidem demonstrare atque ita sacrarum traditionum notitiam renovare ac propagare. Doctor est enim et dux et sacerdos et iudex quoque plebis christianae ; qui Ecclesiae sustinet, dum illam vel docet vel ducit vel consecrat vel iudicat, sibi commissam personam ; cum quo pessime agitur itemque cum illa, nisi dogmata et leges et instituta Ecclesiae accuratissime perspecta habet.

Iam vero dubitandum non est, quin illud studium argute subtiliterque disputandi de theologia causam aliquantam attulerit, cur rerum ipsarum cognitio in scholis nostris minoris fieret. Annon de illo temporis spatio, quod dogmaticae moralique doctrinae assignatum est, pars magna atque

adeo maior deminuitur, ut in illa inquisitione collocetur, quae vel universae theologiae vel cuilibet eius parti praemittitur, cum quaeritur, ad quam summam sententiam omnia referenda videantur, vel alia id genus disputantur? Ipsam dogmatum vim raro excutiunt; argumenta, e Conciliis potissimum et Patribus deprompta, parcissime afferuntur; haereticorum saepe nulla confutatio. Illud vero peius, quod plerumque definitiones accuratae atque universae doctrinae absolutio desiderantur. Qua in re schòlasticos incusarunt, quod argutias consectati essent, nec nos illos, antiquiores potissimum, isto crimine exemerimus, at iidem pro certo habemus, plurima Ecclesiae dogmata ac decreta non posse perfecte definiteque percipi, si quasdam scholasticorum quaestiunculas atque conclusiunculas aspernatus sis. Adde quod hodie, in morali quidem doctrina maxime, ea quae Ecclesia decernendo ac definiendo stabilivit, minime integre pertractantur; quod *si* praestaretur optime, *tamen* doctoris theologiae officio prorsus nondum esset satisfactum. Oportet enim non modo ea docere, quae sunt ab Ecclesia per occasionem haeresum proposito anathemate praescripta, sed, quaecumque vel creduntur ab Ecclesia vel aguntur, complecti atque tradere. Vere igitur non dicunt quidam theologi recentiores, nihil esse fidei christianae nisi quod in Conciliis generalibus aut saltem a Summo Pontifice consentientibus episcopis credendum propositum sit. Quod si ita esset, nihil ante primum Concilium ad fidem spectasset; immo illa qui sola credit, etsi haereticus non est, non est idem continuo

bene catholicus. Plurima sunt enim ab Ecclesia nullis sancita decretis, quae in Scriptura et Traditione perspicue contineri videmus vel quae se credere Ecclesia rerum significatione plane declarat. Quae si e scientia theologica atque ita e contionibus quoque et catechesibus demuntur, iam fit manifestum, quare tot instituta, tot festi dies, tot consuetudines Ecclesiae parvi apud nos fiant, fides autem ipsa e vitae usu submota ad disputandi inanitatem traducatur.

Facilius illud probaverim, quod omittunt quaedam nullis certis demonstrata argumentis, sed verisimilibus suasa rationibus. Quamquam qui veteres acerrime reprehendunt, quod his « piis opinionibus » aliquando diutius immorati sint, quid excusationis afferent, si qui hodie multo diutius incertioribus inhaerent meditationibus ? Quod utinam attente considerent! praesertim cum idem et magnum habeat temporis iacturam et alia nonnulla eaque gravia detrimenta. At, inquis, ratione digestae conclusaeque theologiae summa est utilitas ad singula doctrinae capita penitus perspicienda et contra philosophiae recentis impugnationes tuenda. Sit ita; at certe non est adhuc tantum in eo genere perfectum, ut usui esse in scholis rite possit. Conatus quidam sunt nisusque doctorum arduum quiddam et fortasse insuperabile appetentium; ita perspicuitas in docendo deficit atque, ut in re inexplorata, vis etiam persuadendi; quo quid incommodius in scholis est? Atque ex hoc fonte manare illud arbitramur, quod tot adulescentes iique ingeniosissimi sciendique cupidissimi tales e theologiae, quales e philosophiae curricu-

lo egrediuntur. Praeclara multa atque grandia cum animo complexi meditatique sint, vagari tamen per vias inusitatas doctrinarum nec probe scire videntur, quibus verbis cogitata perspicue definiteque enuntient ; ac tamen hoc ipsum illi doctae rationi propositum esse vel maxime oportebat !

Adde huc quod eiusmodi conatus nonnulli ad irritum et ceciderunt et cadere pergunt attuleruntque non exiguum detrimentum ipsius doctrinae integritati. Omitto eos, qui fidei dogmata non modo *consociare* una aliqua communi notione, sed etiam ex ea tamquam e principio *derivare* studuerunt. Verum illi quoque, qui disputationibus suis rei gestae veritatem substratam voluerunt, suis *opinationibus* plerumque toti quasi irretiti detinentur. Nam etsi ab illa veritate profecti nihil falsi suis rationibus suppositum habent, tamen dum in una re praecipua contineri ceteras omnes statuunt, ad illam universam religionem christianam conformantes sensim hanc opinionem suam propriam pro ipsa fidei norma substituunt atque ad singula dogmata tractanda afferunt. Ita quemadmodum *Hermesio* contigisse scimus, ut, si qua Ecclesiae decreta cum ratione sua praestituta conciliare non potuisset, ea tamdiu versaret, usquedum pervertisset : sic illi quoque, dum de theologiae formula aliqua communi subtiliter ratiocinantur, ipsa dogmata vel neglegere vel etiam deformare solent. Etenim cum ea opinione, quam de proprietate legis christianae semel conceptam praefiniverunt, quoniam Ecclesiae dogmata, decreta, instituta, consuetudines

non raro discrepant, reprehendere mores, caerimonias, acta sanctaque ab Ecclesia incipiunt, fidei autem decreta suis rationibus praeiudicatis accommodare callida interpretatione conantur.

Alterum est malum huiusmodi opinionibus adiunctum, ut quaedam ipsi sibi *summa religionis capita* proponant, quae maximi esse momenti ac ponderis statuunt, alia autem neglegant atque extenuent. Iam vero fit aliquando, ut in ipsis cognitionis theologicae fontibus, in scriptorum ecclesiasticorum consensione, in publicis Ecclesiae institutionibus susceptisque ritibus, ea evidentius emineant, quae ab istis neglegùntur, ac vicissim ea magis obscurentur, quae ab istis praecipua dicuntur. Consequens est, ut sic instituti theologi vix egressi e disciplina in abusus ac superstitiones plurimas incurrere sibi videantur, et adversari ac repugnare moribus iudiciisque vulgaribus, receptis in quaque dioecesi institutis, rituum libris, catechismis, immo vero universae Ecclesiae disciplinae maximeque pristinae scholae theologis incipiant. Id quod numquam fieret, si illi professores, qui in qualibet paragrapho scholasticos casuistasque stomachantes vituperant, ex illorum ipsorum commentariis sanctae Ecclesiae doctrinam, naturam, constitutionem accurate cognoscerent, nec quidquam antiquius haberent quam ut ea, quae cognovissent, suis traderent discipulis. Utinam sibi quisque persuaderet, proprietatem religionis christianae multo clarius certiusque rebus ab Ecclesia gestis institutisque susceptis declarari, quam philosophiae investigatione demonstrari; magnae cuiusdam audaciae esse, praecla-

rum Dei trini opus, doctrinam sacraque christiana, pro ipsorum divina proprietate et quasi animo conspicere et minute explicare velle; denique a nullo id audendum esse, qui non universam illam proprietatem et partium omnium rationem ex illis fontibus haustam perceperit, qui et soli sinceri sint ac puri et ab unoquoque quaerendi atque adeundi.

Sed tempus est pauca dicere de ipsa quoque « *casuistica* », ne forte gravissimam pristinae theologiae accusationem declinare atque effugere velle videamur. Omisimus enim, cum scholarum veterum rationem proponeremus, causarum conscientiae expositiones idque propterea, quod a propria theologiae institutione omnino segregatae fuerunt. Privata quaedam schola fuit, qua brevissime et ad vitae usum accommodate ea tradebantur, quae usui esse in animarum cura solent. Itaque in scholasticae theologiae locum supposita iis erat assignata, quibus vel facultas interioris doctrinae recipiendae deesset vel institutionis eiusmodi necessitas nulla esse videretur ; habebatur autem, ut ceterae, matutinis vespertinisque horis, sed duobus annis absolvebatur. Iniuste igitur faciunt, qui casuisticam pro theologia morali veterum habentes conqueruntur, quod nihil illi via ac ratione de moribus docuerint. Scilicet in *maiore* illa palaestra, ut supra diximus, suum erat morali doctrinae spatium neque id quidem aut exiguum aut impar.

Sane supremi saeculi casuum explicatores libros suos moralem theologiam inscripserunt; sed in scholis ne tum quidem quidquam immutatum

est. Et quoniam de positiva s. expositiva theologia paullo ante disseruimus, supervacaneum existimamus ipsam illam ad vitae munia accommodationem, officiorum explicationem, causarum singularum enarrationem defendere ; quae autem de effusa quadam abundantia casuistarum ac de argutis disputatiunculis tam fortasse incongruis quam supervacaneis dictitare solent, id crimen, quatenus quidem verum est, in maximos illos libros cadit veterum theologorum, non in scholarum institutionem quadrat. Neque enim magis illa opera, quam quos Suarius quattuor et viginti folii forma libros de theologia scholastica scripsit, ad scholarum usum composita erant. De schola causarum moralium existimari licet e libello notissimo P. Voit S. I. Itaque hoc quidem crimem missum faciamus.

Aliud est aliquanto gravius, quod ea cleri pars, quae amplioris doctrinae expers fuit, sola causarum tractatione ieiune atque exiliter instituta sit. Nam etiamsi minime probes, sic scholas conformari, tamquam si, quicunque litteris se applicaverint, eas omnes doctissimos evadere necesse sit, tamen plus didicisse decet sacerdotem populi ducem atque doctorem, quam enucleatas officiorum explicationes. Cum quibus etsi quaedam dogmata ad munerum functionem sacrumque ministerium pertinentia aliqua ex parte iungi solebant, alia tamen multa atque gravissima praetermitti necesse erat ; fuitque hoc sane incommodum malumque haud exiguum in scholis veterum.

De doctrinae ambitu et rerum partitione et de maximarum partium tractatione diximus ; sequi-

tur, ut *ipsam rationem instituendi* paullo diligentius consideremus. Qua in re optime facturi videmur, si e commentariolo publico magistratus Borussici aliqua mutuabimur. Ergo in praeceptione Ministri, sacro cultui, scholarum institutioni, arti medicinae praefecti, missa a. d. XV. Cal. mai. 1844, ad universas Facultates regiarum Universitatum, in hunc modum disseritur :

« Propositum antiquitus fuit Universitatibus, ut et ipsis litteris, doctrinis, artibus incrementum accederet, et adulescentes ad politiorem vitae cultum omnemque humanitatem atque ad obeunda munera omnia, imprimis civilia et ecclesiastica, institutione formarentur. Germaniae universitates quanto ad prius illud efficiendum adiumento fuerint, praesens artium liberalium condicio magna cum laude patriae declarat atque testatur. Minor his doctorum studiis honos nuper attribui consuevit ab iis, qui alteram illam rem gravissimam spectarent. *Nam quibus viris rerum vel civilium vel ecclesiasticarum examina commissa sunt, ii non raro eam desiderant cuiusque disciplinae perceptionem, eam ingeniorum exercitationem, in qua verti existimant utilem salubremque civilium et ecclesiasticorum officiorum procurationem.* Sunt in *doctioribus* etiam Universitatum alumnis non pauci, qui nescio quid *nulla sua culpa* defuisse studiis atque institutioni suae recordentur. Quodsi causae quaeruntur, unde tantum detrimentum vitae civili atque ecclesiasticae extenuato publicae institutionis fructu sit allatum, respondent nulla necessitudine animorumque communione doctores cum discentibus coniungi ;

quod malum tantum esse vulgo existimant, ut et ingeniorum culturae et morum formationi magnopere officiat.

«Ac primum quidem *rationem quandam requirunt academicae institutionis*, qua pridem effectum sit, ut in omni litterarum genere esset illud mutuum commercium. Adiuncta enim perpetuae praeceptioni *disputatio erat et collocutio*, in qua quidem exercitatione vigebat libere docendi discendique usus praeclarus. Hodie ubi id res ipsae postulant, ibi auditores cum praeceptoribus agere ac de doctrina proposita conferre pergunt; in ceteris disciplinis sola praeceptione omnia traduntur. Sed huic rationi consequens est, ut ingeniosiores discipuli ardentioresque libere agere aliquid et meditari consuescant atque pergant, *at pars eorum maior audiendi scribendique consuetudine ita lenti tardique evadunt, ut intendere vires ingenii ipsique tractare litteras numquam addiscant atque in multa saepe peccandi pericula animorum inertia delabantur*. Quorum adulescentium vel necessitas vel utilitas gravissime requirit commercii cum doctoribus eam frequentiam, quae, cum alia esset ratio instituendi, in optime cuiusque praeceptoris more maxime posita erat. Sed illi appropinquante fere examine publico, extremo in curriculo academico, quasi metu exciti ad examinatoria et repetitoria miseri confugiunt, quae separata a proprii professoris praeceptione nec satis recto animata vel docendi vel discendi studio, fructum nullum ferant. Iure igitur suo Facultates paene omnes magnum academicorum numerum a solidae doctrinae cursu litterarum

que ipsarum stadio, quod dolendum sit, longe aberrare atque adeo optimis studiis praeceptorum invidiam apud multos conflare conqueruntur. Omissa quoque ratione doctrinae, quam creditam esse universitatibus patria voluit, interest Facultatum quam plurimum, ne parum sua institutione conferre ad *vitae usum* existimentur.

« Quae eum ita essent, tam frequenti audita deploratione malorum, doctores auctoritate gravissimi iam ab hinc aliquot annis poscere institerunt, ut *pristina repeteretur ratio instituendi*, quoad servata praecipiendi perpetuitate docendique libertate universitatum propria liceret. In primis Frid. Aug. *Wolfius* scite severeque admonuit, quantos processus studia litterarum habitura essent, *si doctores operam darent, ut eas res, de quibus praeceperint etiam colloquendo cum auditoribus summatimque recolendo pertractarent, atque suo quaeque ordine perspicue dicendi disserendique occasionem eis praeberent.* Alii significarunt, quantae futura essent utilitatis adulescentium cum litteratissimis viris sermonum studiorumque commercia, quantum ex eis animorum morumque fructum ad vitam honeste agendam et ad obeunda munera gravissima essent percepturi. Exempla sunt praeclara, quibus demonstretur, quam libenter ipsi adulescentes se totos penitus ad viros eximios applicent, quantum id ad ingenia moresque formandos valeat, denique quam sit dolendum non aliam iam esse inter docentes discentesque quam *praecipiendi audiendique* communionem. Atque his de causis etiam nuperrime aliquot doctores egregii aliique viri honestissimi, quibus uni-

versitatum in Germania processus et gloria cordi esset, identidem atque graviter hanc ipsam rem curatoribus commendandam esse censuerunt ».

Adduntur in eandem sententiam alia complura, e quibus haec ascribimus :

« Unum hoc generatim attendendum esse videtur, in exercitationibus illis *summa capita* traditae a professoribus doctrinae illustrari ac pertractari, nec id *separatim* ab exponendi continuatione, ne fructu careat, agi oportere. *Atque ita dum in his circulis res praecipuae e contexta explanatione, quae praecessit, repetitae inculcantur animis auditorum*, tollitur illud periculum, quod quidam significarunt, ne ipsius praeceptionis continentis utilitas deminuatur ».

Ecce tibi idem illud, quod de philosophiae studio supra significavimus, a Ministro Borussico copiose explicatum atque in omnia academicorum studia accommodatum. Unum hoc liceat addere, non modo in illis exercitationibus, verum etiam in ipsa praeceptione « summa potissimum capita illustrari ac pertractari oportere ». Iucundius nimirum professoribus est ac plerumque multo etiam facilius, res perpetua tractatione vel oratione academica edisserere ; at idemne ad instruendos eos, qui ad disciplinae alicuius studium modo accesserunt, magis appositum ? Non opinor. Discentibus enimvero necessarium est notiones acriter discerni, genera explicari, argumenta ac refutationes formari et disiungi, gravissima quaeque iterando imprimi in animis, difficultates enodari, denique, ut brevi complectar, scholasticum disserendi modum summatim revocari. Ain ? schola-

sticum modum ? Eum dico modum instituendi, quem ipsa iam Reformationis aetate et Lutherus et Calvinus acerrime impugnarunt, quem Ecclesiae scholae doctoresque et servarunt constanter et studiose defenderunt, quem hoc demum saeculo litteratissimo Protestantibus obsecundantes dimisimus. Annon hoc summopere deplorandum est, quam longe a simplici eademque solidissima consuetudine veterum discesserimus ? Fuerunt sane tum quoque in academiis et universitatibus praelectiones eiusmodi, cuiusmodi sunt hae nostrae ; sed eas illi audiebant, qui usitato erant studiorum curriculo egressi. Hac aetate coeptum est, ut in rebus tradendis, sic in tradendi modo, id, quod quorundam doctrinae augendae idoneum erat, ad indoctos ac tirones promiscue transferri. At vero nisi prius judicare prudentius atque imprimis sentire modestius edocti ad simpliciores pristini temporis rationes conversi erimus, alumni universitatum doctrinae religiosae summam definite, solide, integre perspicere atque complecti numquam poterunt, nec ambigendi finis, nec asciscendi falsa, nec commiscendi catholicas cum protestantium opinionibus unquam erit.

Mirabile est, cum tempus studiorum hodie theologis uno anno brevius, disciplinae autem numero plures et rebus locupletiores praefiniantur ; cum maxima pars temporis in digerendis biblicarum atque historicarum disputationum materiis collocetur ; cum exiguum quoddam spatium enucleandis dogmatis assignatum subtilitatis consectatione teramus ; cum et extra auditoria exi-

guum sit aut etiam nullum cum discipulis commercium, et in scholis, quasi liber aliquis recitetur, ars nulla aut ratio adhibeatur instituendi : mirabile est, inquam, nos nobis videri doctiores formare theologos quam veteres ! Atque utinam in discipulorum modo multorum mentibus, non in magna etiam parte litterarum theologicarum illud lumen veritatis, illa docendi perspicuitas, illud acumen ingenii, denique illa integritas et tamquam sanitas doctrinae religiosae desiderarentur ! Quod nolim in malam partem interpretere ; neque enim de omnibus theologiae partibus, sed de iis dico, quae in doctrina Ecclesiae explicanda versantur, atque hoc ipsum generatim intellegi volo. Non enim ego is sum, qui non quaedam opera singula plurimi facienda esse fatear libenter ; immo vero admirandum censeo, quanto studio nuper potissimum et in Germania et aliis locis tot viri catholici iique doctissimi incensi quantique ex eo fructus procreati sint. Sunt enim hi ipsi (in quibus gloriari nobis omnibus licet), qui doctrinae catholicae prae protestantibus eum dignitatis locum, unde ad tempus deiecta erat, vindicarunt feceruntque, ut id adversarii Ecclesiae vel honorifica existimatione, vel insana desperatione testati sint. At futurum fuisse existimamus, ut et ardor ille amorque doctrinae catholicae erudite tuendae citius excitaretur, et fructus utilitasque multo latius paterent, et imprimis per universum clerum sincera rerum catholicarum notitia longius divulgaretur, si in scholis recentioribus vel studiorum divisio vel libri discentium vel instituendi modus a maiorum ratione minus discreparent ;

neque persuadere nobis possumus, illos optimorum virorum conatus exitum habituros *prosperrimum*, nisi prius vitium illud, unde nata labes est, emendetur.

V

PHILOSOPHIAE PRISTIMAE CUM RECENTI COMPARATIO.

Cum de philosophia omninoque de doctrinae subtilitate disputatur, diffidi magis ipsi *scientiae* superioris aetatis, quam docendi rationi solet. Quotus enim quisque usu vitae mediocriter doctus non videat, adulescentiam eam, quae tam immatura ad universitates veniat, institutione egere et disciplina et exercitatione et moderatione, ut in litterarum quasi penetralia tuto inducatur? Desiderant igitur atque exoptant non pauci, ut libertas illa docendi discendique academica in aliam sententiam explicetur. Ac tamen constat inter plerosque, *ipsam doctrinam*, in Germania potissimam, honorificentiore quam unquam alias esse loco. Dubitatur enim fortasse, ceteraene nationes quamvis ingeniis artibusque florentes, *cogitandi* sublimitate pares esse nobis Germanis possint; non dubitatur, sed pro explorato habetur, homines superioris saeculi aequari nobiscum minime posse. Atque hic locus praecipuus est, ubi Jesuitas ad instituendos adulescentes parum idoneos esse clamant; nam suo propemodum iure prospicere sibi videntur, illos ad superiores quoque litterarum disciplinas eo animo eaque consuetudine accessuros, quae olim viguerit.

Sed contra dicere cum bona venia istorum ac mi-

rari nobis licet, quod hodie quoque *doctrinae* sagacitatem tanta auctam esse laude hoc sàeculo glorientur. Nam etsi neutiquam infitiamur, physicam et naturalem historiam, mathematicam et astronomiam nuper maximo incremento locupletatas atque amplificatas esse, nec iidem philosophiae disputationes omnes aspernamur, tamen assentimur iis, qui ad vitae potissimum usum litterarum utilitatem referendam esse rati dolent atque conqueruntur, quod hodie deteriore, quam unquam antea, condicione philosophia sit in Germania.

Quattuor enim scholae philosophantium, ad quarum recentissimam quamque maior pars doctorum nostratium se applicaverant, desertae iam sunt earumque suprema omni impietate demersa ad futtilem illam aequandi omnia rationem (communismum) delabi visa est. Neque vero sic alia ex alia doctrina electa, denique omnes repudiatae sunt, ut verum vel magis perspicue intellegeretur vel firmius teneretur, aut ut ex huiusmodi litigationibus conatibusque tandem aliquando lumen animis ac tranquillitas derivaretur neque iam novae sectae quaerendae necessitas ulla esset; sed *perturbatio* communis fere omnium consecuta est eiusmodi, ut, dum altercari inter se pergunt, vix alter alterius orationem intellegat. Alii de religionis veritate, alii de philosophiae decretis desperaverunt, tantaque inter doctos inconstantia est opinionum, ut vel illi ipsi, qui conciliari fidem cum scientia posse non diffidant, tamen non minus quam fidei adversarii de principiis doctrinae, de fonte et capite philosophiae. de ratione, modo, ambitu dissentiant inter se ac

dubitent. Esto, sint aliqua illa contentione inaudita animorum, ex Kantii aetate tam communi tamque assidua, vel liquidius cognita, vel evidentius perspecta vel ipsa dubitatione magis illustrata. Num ipsam philosophiam, cognitionem, inquam, veri atque demonstrationem processus aliquos habuisse in tam communi omnium dubitatione, fluctuatione, perturbatione iure affirmabimus?

Quod unde tandem allatum est? Auctorem recentis philosophiae *Kantium* exstitisse nemo negat. Ut enim in prioribus scholis semina quaedam eius doctrinae fuerint, tamen ipse primus opinionum novitate commovit animos atque in diversam partem philosophandi studia deflexit. Censemus autem eisdem vestigiis, quae ille impressit, hodie insistere philosophiam, vel potius ad ea, unde ab illo avocata est, nondum redisse, atque ex hoc fonte illa labes ac miseria profluxit. Itaque Kantius eo ipso, quod fidem fecit facitque pristinam philosophiam ipsa via errasse, pater factus est recentis, et quamquam ea, ad quae Kantius et Fichtius et Schellingius et Hegelius duxerunt, aut non probata aut postea dimissa sunt, tamen ad illa, unde declinarat, non est visum redire. Immo novas vias iterum quaerere placuit, et cum plurima exempla tristissima errorum tam in catholicis quam in protestantibus cernerent, tamen mali causam fateri recusarunt. Nolumus enim nos, huius fastidiosi saeculi alumni, discere a superiorum aetatum hominibus; cuius vitii poenas, cum a veritate longius ac longius divagamur, merito damus.

Sed haec ipsa paullo fusius liceat demonstrare.

Pervulgatum est Kantium, ut certam esse intellectus nostri cognitionem adversus eos, qui in sensibus omnem rerum cognitionem concludi dicebant, defenderet, dubitare in aliam partem de eadem vi intellegendi coepisse atque ita ad suam « *criticam rationis intellectivae* » devenisse. Nam cum ante eius aetatem, si paucos excipias singulari opinione philosophos, omnes existimassent, ex rebus vel in se ipso vel extra animadversis hominem conclusionibus quibusdam, rationis legibus consentaneis, ad certam duci notitiam earum rerum, quae essent a sensibus remotae, et huiusmodi ratiocinatione atque demonstratione contineri metaphysicam vulgo definirent : *illi* contigit, ut fidem huic metaphysicae sua critica non modo imminueret, sed prorsus abrogaret. Pro qua quod a practica ratione mutuatus supposuit, etiamsi repudiatum, atque etiam demonstrationes illius criticae rationis intellectivae reiectae sunt, nihilo setius id quod ille conclusit mansit immotum, ut quidquid in diiudicanda intellegentia deinceps tentaretur, constanter illud idem concluderetur : pristinam metaphysicam nequaquam posse consistere.

Principio quidem illae scholae, quae *proxime* post illum floruerunt, cum longissime in ceteris rebus ab eo discreparent, hoc unum tamen retinuerunt. Dubitarat ille de usitata veritatis demonstratione idcirco, quod rationis non esset, de iis legibus, quas in illa demonstratione necessario sequeretur, fidem facere nec, si res cognoscendae a sensibus remotae essent, pro certo habere, id quod sibi videretur re vera esse.

Ad quod sic veteres pro sua disputandi ratione responsuros fuisse censemus : Evidentia quadam animus sui conscius persuaderi sibi sentit, ut ea vera putet, quae ista ratione cognita probataque sint. Quodsi tantum possit idem perficere, ut supra se evolans vel extra se exiens perspicue intellegat, quam ob causam illud sibi sit persuasum haec sane ultima sit scientiae absolutio ; sin ad id assequendum non valet, moveri tamen nondebet, ut persuasum sibi neget, quandoquidem, si ita dubitaretur, incerta fierent omnia. Itaque in vetere philosophia haec quaestio, quae in rebus vis esset propria persuadendi, qua ratione ipsa veritas nobis fieret manifesta habereturque pro certa, unde rerum notiones in animis nascerentur : in iis erat, quas solvere conabantur, non in iis, unde certam animorum cognitionem rationemque philosophandi aptam esse arbitrabantur.

In contrariam conversi partem ii, qui Kantium secuti sunt philosophi, criticae dubitationes amplexi sunt, cum illam quaestionem sibi solvendam esse statuerent, *antequam* gradum ullum facerent. Solverunt alius aliter, sed unum convenit inter omnes : in ipso esse intellectu causam ultimam persuadendi, nec aliud requiri, nisi ut id ipse videat atque intellegat. At isto modo non veritatem amplexus *cognoscit*, sed *est* veritas ipse, et dum se ipse recte cognoscit suamque naturam comprehendit, aliam omnem ex se veritatem haurire et potest et debet atque per se philosophiae disciplinam totam exstruere. Ita criticae dubitationem superbiae temeritas excepit.

Existimarant illi veteres, nos a vero evidenti

profectos posse alia nonnulla eaque gravissima investigando assequi ; at paullo altius enisi fatebantur *terminos* quosdam mentis humanae cognitioni obstare, *opinionibus* atque coniecturis reliquum committi spatium. His igitur illas quaestiones agitabant : quomodo animus ad naturam compararetur ; quae esset in Deo actuosissimae libertatis et immutabilitatis perfectissimae conciliatio ; quatenus rerum posset natura in divina contineri ; scientia Deus an voluntate omnia efficeret, atque ita porro. Non enim vitavit ac declinavit huiusmodi quaestiones vetus philosophia, sed dirigi investigationes suas fide divina sinebat, aut, illa si silebat, modeste se ac moderate gerebat. *At numquam hoc pronuntiabat : rationem, nisi omnia sciret, nihil scire*, quae sententia, etsi non omnium obversabatur animis, subiecta fuit iis disputationibus, quas recentiores philosophi operosissimas frustra susceperunt. Qui nisi illas quaestiones persolvissent, nihil se nosse arbitrati sunt, utque Kantius certum quidquam percipi ratione intellectiva negavit, quod sui ipsius causam ultimam ignoraret, itidem ii, qui secuti sunt, philosophiam vetuerunt vocari eam, quae non ex una natura simplici (absoluta) omnia perciperet ac derivaret.

Neque vero infitiamur, *perfectam* fore philosophiam, si ex una ratione simplici omnia repetat, sed ita perfici nullo modo potest, nisi cognitam perspectamque habeat ipsam illam naturam simplicem, unde principium omnia duxerunt. Quod si nos, quoniam « ex parte cognoscimus », id nec assequimur nec possumus assequi, efficitur, ut

manca, non ut falsa aut dubia sit nostra cognitio. Quae iis dirigitur legibus, e quibus exsolvere mentes nostras nequeamus; de qua dubitare tantundem est, quantum mentium ipsarum naturam mendacem dicere. An si forte oculus locis editioribus ferre luminis splendorem nequit, continuo sequitur, ut humilioribus eodem lumine *decipiatur ?*

Sed quoniam nuper in huiusmodi quaestionibus solvendis totam verti philosophiam putarunt, non solum novum prorsus ingressi iter, sed etiam pristinae doctrinae plerumque obluctati sunt. Ac profecto summo cum labore et periculo ad ea invenienda connituntur, quae, si vera ac rata est antiqua, philosophia, tam simpliciter quam perspicue probantur; et si qua de cogitandi vi, de omnium rerum una ratione (identitate), de notione communi s. idea docent, ea commenta quaedam videntur eis, qui veterum logicam sequuntur ac metaphysicam ; denique eo illi delabuntur, ut multa decreta eaque gravissima veterum philosophorum aut negent aut ita, ut negare dixeris, interpretentur.

Iam vero errare scholas eas, de quibus hactenus diximus, easdemque latius ac latius errores suos diffundere, non est, cur hominibus vere christianis, nedum catholicis, demonstretur. Censemus autem eo ipso a veritate eas aberrasse, quod non perficere philosophiam, sed abiicere veterem et novam condere vellent, atque eo ipso *potuisse* et opinionum errores spargere et fidem religiosam extenuare, quod persuasissent, ab ipsis partam procreatamque veram philosophiam esse.

Accidit enim, ut ea res fidei moveret patronos, ne ad pristinam philosophiam oculos converterent, sed ad novam excogitandam rationem ipsi incumberent. Qua in via nova non modo non occurrerunt adversariis, sed ipsi evagati in eos se errores induerunt, qui ab illis non magnopere differrent.

Velut *Hermesius*, quid de vetere, quid de nova philosophia sentiat, non sinit nos dubitare. « Scholastici », inquit, « antiquam amplexi philosophiam, quam usque ad nostram aetatem veram putarunt, non quaerebant, unde notiones rerum omnium, et quam varii essent pro origine momenti ; fuerunt etiam, qui e nominibus rerum et conceptibus veritatem subiectam ipsarum idearum derivari posse censerent » (Dogm. I p. 76). « Contra demonstrari ab eis oportuit, quam esset tota illa metaphysica inanis ; id quod ante hanc nostram aetatem nemini in mentem venit ut susciperet » (ib. p. 58). Ipse igitur « dogmata ad novae philosophiae rationem tractare » instituit ; addit idem : « Cum autem dogmata philosophorum more tractari volo idque ad novae philosophiae rationem, non hoc dico, ea ad certae cuiusdam scholae recentis tractandam esse rationem, sed recentem philosophiam cum antiqua comparo. Inter quas hoc differt, quod haec nostra rerum veritatem quaerit (semperne recte quaerat, alia quaestio est), pristina in appellationibus versata est easque falso pro naturis rerum tractabat. Itaque primam illam proprietatem intellego recentis philosophiae, qua in perpetuum tamquam sua notabitur ». Quae cum ita sint, ille « rectam rationem »,

qua et scholasticos et « ceteros viros clarissimos, Athanasium, Basilium, Gregorium, uti oportuerit », ut haereticos philosophiae demonstrationibus impugnaret, ab ipsis didicit haereticis et a Kantio quidem maxime. Atqui aberrasse Hermesium, hoc ingressum iter, a veritate christiana eundemque, qui in destruenda vetere philosophia criticis illis consensisset, in exstruenda nova ab iis non admodum dissensisse, non est quod demonstremus; catholicos enim alloquimur, et unde *nata* esset opinio erroris, hoc erat nobis ostendendum.

Lammenais quoque in iis fuit, qui, cum nova ratione tutari christianam veritatem instituissent, ab ea defecerint. Cuius quamvis diversus modus fuerit philosophandi, non aliam ob causam, atque ille, lapsus est. Nam id, quod sua quisque *ratione* perspexisset, certum esse negans catholicae omnium saeculorum doctrinae repugnavit; et si non modum, sed fructum investigationis spectes, prorsus assensus illis criticis eam philosophiam, quae theoretica niteretur ratione, respuit atque ita solum ab illis discessit, ut pro theoretica non practicam, sed communem quandam rationem solam veritatis subtilioris inventricem atque testem esse vellet.

Bautain autem et ii, qui deinde Hermesii potissimum adversarii exstiterunt, quam opinionem amplexi sunt, ut pro revelata doctrina pugnam inirent, ea non admodum dissimilis est. Probare ac persuadere, inquiunt, nihil potest ipsa ratio, potest aliunde accepta intellegere; est autem ultima causa scientiae fides divina ac revelatio. Immo vero errorum semina insita rationi esse dicere non

dubitant; quodsi mentis contemplatione ac ratiocinatione assequi ea, quae a sensibus segregata sint, velimus, eam mali quandam propinquitatem iudicant. Quibus non paucos tamquam pie et catholice opinantibus accedere vidimus: et cum alii lucifugos existimarent Iesuitas, quos audiri non oporteret inter huius saeculi philosophos, illius scholae asseclae vereri se significabant, ne iidem a ratione repetere omnia conarentur; videbant enim eos more pristino, recenti philosophia neglecta, demonstratione rationis efficere velle, ut Deum esse intellegeremus aliaque nonnulla pro certis amplecteremur. Qua in re haud scio an parum consideraverint, non Iesuitas; sed universam se catholicam superiorum aetatum theologiam ac philosophiam impugnare et scholasticis mysticisque et ipsis Ecclesiae Patribus adversari.

An ullam unquam Iesuitae *propriam* philosophiam professi sunt? Obiiciunt eis adversarii, quod nemo inter eos doctrinam novam reppererit aut scholam constituerit. Videlicet novas reperire doctrinas aut constituere scholas catholici theologi semper dubitarunt: id haereticis relictum voluerunt; inter ipsos de summa philosophiae constabat. Docuerunt toto orbe simul cum Iesuitis Dominicani, Franciscani, alii religiosi; floruerunt complures universitates catholicae, ut Parisiis, Lovanii, Bononiae. Age vero harum omnium scholarum evolvantur libri: invenientur quaestionibus quibusdam dissidere, at summis rebus, principiis, inquam, et ratione disserendi, et demonstratione factae revelationis prorsus inter se conguere. Quod idem de superioribus saeculis dici debet.

Neque vero sumus nescii affirmasse quosdam, numquam scholasticos philosophando transgredi ausos esse fines revelatae doctrinae, sed hanc solam ut explicarent elaborasse. At quae tandem fuit id affirmandi ratio? Noverunt omnino scholastici ratione uti ad fidei explicandam doctrinam; quam ratiocinationem proprie theologicam vocitabant. Sed eodem loco, ubi eorum princeps, Thomas Aquinas, in hanc sententiam loquitur Summ. P. I, q. 1, summa verborum perspicuitate docet, nonnulla tamen capita fidei philosophica ratione probari posse. Cf. praeter cetera art. 1, ad sec. et art. 6 in corp. et q. 2, art. 2. Et hoc quidem postremo loco ita ipse sibi occurrit: « Deum esse est articulus fidei; sed ea quae sunt fidei, non sunt demonstrabilia, quia demonstratio facit scire, fides autem de non apparentibus est (Hebr. XI); ergo Deum esse non est demonstrabile »; deinde idem sic respondet: « Deum esse et alia huiusmodi, *quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. I*, non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim *fides praesupponit cognitionem naturalem*, sicut gratia naturam et ut perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet, illud, quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit. » Quem unum locum consideranti mirum videri debet, fuisse qui etiam in historia quapiam philosophiae affirmaret, in ea fuisse sententia S. Thomam, ut Deum esse demonstrabile non putaret, quod ante omnem demonstrationem praesupponeret aliquam esse veritatem, veritatem autem ipsam esse Deum

Sed cum S. Doctor ordiri omnem articulum a dubitationibus soleat, quibus ipsius obscurari doctrina possit, illi viro accidit, ut dubitationem pro doctrina acciperet (q. 2, art. 1); nimirum nec hunc, nec ullum alium Summae articulum legerat, quando quidem eadem est conformatio omnium.

Atque S. Thomas, dum fidei doctrinam pertractat, hoc idem de compluribus quaerit capitibus, possintne omissa revelatione sola etiam ratione demonstrari; negat SS. Trinitatis posse mysterium demonstrari, dicit posse alia quaedam ac nominatim illud, quod diximus, Deum esse. An sic obruta hodie memoria veteris theologiae est, ut id demonstrandum sit, quod ipsae inscriptiones quaestionum ab illis tractatarum declarant? Attulerunt et ii, qui Lamennais secuti sunt, et ceteri fere novatores quaedam Patrum effata, quibus errores suos tuerentur; at hic non iacta quaedam ab illis verba, sed sententia eorum quaeritur communis atque illa doctrina, quam tum proponebant, cum de aliqua materia separatim et « ex professo » agebant. Atque haec communis sententia et huiusmodi doctrina eadem fuit omnium saeculorum catholicis theologis ac philosophis docentibus, et posse rationem per se ipsam de Deo divinisque rebus nonnulla cognoscere et tamen revelationis doctrina nos omnino indigere. Primum enim illa ipsa, quae naturali rationis lumine percipimus, sola revelatio *sic* docet, ut nulla adhaereat errores vel labes vel suspicio, aditumque ad ea cognoscenda universo humano generi aperit. Deinde eadem de mysteriis decretisque Dei ea manifestat, de quibus na-

turalis esse notitia nulla possit, in quibus eisdem ipsa proprietas christianae religionis consistit. Porro autem fide dignam esse doctrinam revelatam, ratione semper omnes demonstrarunt, ita quidem, ut nec fontem esse vellent nec causam fidei rationem nec in doctorum argumentis verti omnem factae revelationis cognitionem putarent.

Quod autem nuper Hermesius aliique eiusmodi demonstratione rationis decepti sunt, non continuo efficitur, ut ea recte usurpari non possit. Nam ille etsi rationi prae revelatione nimium confisus est, tamen neque ipse neque Lamennais a « regia Patrum via » eo deflexit, quod factam esse revelationem ratione demonstrari posse arbitrabatur: immo ob hanc causam uterque deerravit, quod eam vim cognoscendi, quam rationem simpliciter vocamus, i. e. intellectivam et propriam cuiusque, ineptam illi demonstrationi conficiendae iudicarunt, atque ad practicam et communem rationem ille subtilitatem consectatus, hic animi quadam evagatione ductus confugerunt. Atqui isto modo ii quoque viam Patrum relinquunt, quicumque ut Hermesius persuasum habentes, inanem fuisse pristinam philosophiam, in scientiae inquisitione fidem pro ratione esse volunt. Qui ignari atque inviti criticam philosophiam pluris quam universam antiquitatem christianam faciunt. Negant enim idem quod Kantius, aliis quidem moti rationibus: intellectivae cognitionis esse res sensibus non subiectas percipere. Itaque ut ille practicae rationis decreto cedendum, ita hi lumini revelationis credendum esse statuunt; quorum si qui ipsam revelationem di-

vinam conscientiae voce patefieri atque piam huius vocis auditionem fidem interpretantur, aliquanto etiam propius ad Kantianae philosophiae conclusiones accesserunt.

Plus fortasse audere videbimur, quam licet, sed fas erit profecto, quod sentimus, id nude ac simpliciter eloqui. Videntes enim, ut illi viri doctissimi, quos modo nominabamus, non minus quam critici de intellectiva ratione desperent, in suspicionem adducimur, alios etiam quosdam theologos suis disputationibus aliquid aspersisse eius temeritatis, quam tamquam labem maximam Kantius ad posteros transmisit. Qui talem quaerere philosophiam videntur, quae non solum vera naturalia, verum ipsa fidei mysteria rationum momentis demonstrare possit. Sane *explicationem* hanc appellant christianae veritatis, sed *intellectio ac demonstratio* instrui prorsus videtur. Rationi autem philosophandi « idealistarum » horum disputationes tam sunt similes, quam voluntas ab illorum doctrina aliena. Annon perpetuo elaborant, ut excutienda atque investiganda vi ipsa cogitandi et animo immortali cum rerum natura comparando et «absoluti» notione explicanda (intellegunt naturam simplicem, qua percepta omnia teneantur) *necessariam* afferant rationem, cur summa illa revelatae doctrinae capita admittenda esse videantur ? Et quamquam cavemus, ne quem dubio erroris crimine incusemus, tamen eam esse eiusmodi quaestionum altitudinem arbitramur, quae vertiginis afferat periculum, neque constare, cuius instinctu ad haec ardua accesserint.

Sed quidquid id est, non est dubium, quin hu-

iusmodi disceptationes tantum valere in *scholarum* institutione non oportuerit, omninoque malum maximum arbitramur, quod a recenti philosophia illi rationem modumque mutuati sint. Ut enim licuerit ingenio humano, modeste quidem, dare operam, ut illae summae quaestiones nova investigandi via solverentur, quo doctrina et amplificaretur et firmius stabiliretur : funesto accidit conatu, ut, antequam ulla ratio esset temporis usu doctorumque consensu confirmata, pristina e scholis exterminaretur philosophia et compendiariae institutiones publicaeque scholae ad recentissimum quemque opinandi modum prorsus immutarentur. Quid enim consequi aliud potuit, quam ut et perspicuitas docendi et firmitas existimandi tollerentur in scholis? Nimirum, quoniam tota philosophia recens in iis versatur quaestionibus, quas aut incertum aut ne verisimile quidem est dissolvi unquam expedirique ingenii humani viribus posse, id ipsum dubitationem obscuritatemque afferre nemo non videt. Adde quod has easdem quaestiones ita cum ceteris philosophiae disputationibus connexuerant, ut a *tironibus* philosophiae aut tractari eas aut minimum respici necesse esset.

Deficiebat praeterea instructio disciplinarum idonea, disceptandi usus et exercitatio, principiorum capitumque facilis atque iterata demonstratio, ita ut plerique discipuli assequi intellegendi perspicuitatem definiendique constantiam non possent. Immo honos ipse philosophiae discendique studium exstinctum est, cum nihil perspicue, nihil definite proponi illi quidem sibi per-

suaderent, tam incerta, quam subtilia traderentur, denique in ipsa psychologia et logica abstrusae ar gutaeque formulae asciscerentur. Annon inviti fatebimur, eorum, qui philosophiae auditores exstiterint, ipsorum etiam theologorum iurisque studiosorum, quos illius esse peritos maxime oportebat, aut magnam aut maximam partem metaphysicam nosse eatenus, ut eam impune *irrideant?* Ii autem, qui singulari et ardore et ingenio ad philosophiae contemplationem accesserunt, nescio qua summa mentis contentione id assequuntur, ut aliquo modo intellegere illa prima sciendi elementa videantur; quorum quotusquisque est, qui definiendi accuratione demonstrandique subtilitate rationem reddere earum rerum possit, quas didicerit?

Sed immaturo conatu in scholas inducta hac nova philosophia, fieri non potuit, quin magna oriretur opinionum *diversitas* et ipsarum *perturbatio* notionum ac perceptionum. Nam et quater saeculo dimidiato scholarum auctoritas fluctuavit et praeterea diversissimae philosophandi rationes suum quaeque in adulescentium institutione tenuerunt locum. Nihil igitur cum esset studiis substratum, quod inter omnes conveniret, nulla communio inter doctos, nullum commercium esse facile potuit. Quisquis hodie librum aliquem de philosophia lecturus est, eo descendat oportet, ut propriam ac peculiarem scriptoris prius addiscat rationem; item quisquis scripturus est de re aliqua ad philosophiam pertinente, ut audientiam sibi faciat suam rerum omnium contemplationem explicet, qualis sit, quomodo a ceteris differat, necesse est. Exprobrarunt saepe nostrati-

bus Germanis, quod tam longe repetant disputationum suarum exordia; sed eius rei necessitas quaedam est, quam deplorare licet, mutare non licet. Atque haec altera causa, nisi mea me opinio fallit, effecit, ut non solum plurimi iique eruditissimi, verum etiam librorum scriptores nescire se nec scire cupere philosophiam fateantur. Ergo quorumdam haec solitaria et umbratica scientia, nec suapte natura communis ac publica omnium dux est doctrinarum.

De ingeniorum cultu dicturi eramus; sed venia dabitur illud quoque significandi, nisi mutata institutionis ratione nunquam potuisse tantam labem a nova philosophia ad *fidem* manare christianam. Ut eas scholas praetermittam, in quibus haeretica regnabat doctrina, permissum erat ceteris praeceptoribus, qui catholice aut christiane docturi erant, ut omni novitate sic uterentur, ut fidei nullum periculum crearetur. Non id contigit Hermesio, ut sibi satis caveret; ceteris num id contigisse omnibus arbitrabimur? Nempe longe difficillimum fuit, si fieri omnino potuit, hanc sua quasi persona exuere philosophiam, quae persona est arrogantiae, fastidii, superbiae. Alumna est enim natu minima protestantismi ac sua sponte inimica cuilibet non domesticae auctoritati. An non contemnit, quae invenit probavitque antiquitas? non neglegit, quae sunt divinitus patefacta? Non perse omnia parere, formare, statuere conatur? Quam arrogantiam in permultos irrepsisse libros, qui a catholicis aut scripti sint aut usu approbati, nemo ignorat. Ita philosophiae studiosi non solum nullis solidae institutionis adminiculis muniebantur,

ne laberentur, sed etiam ipsa disputandi ratione, quam addiscebaut, periculis fidei obiiciebantur.

Censemus autem, quidquid de pristina et recenti philosophia in utramque partem disputatur, id eo spectare, sequendane sit an deserenda *via maiorum*. Nos, ut fidem nullam patimutationem, doctrinam autem fidei s. theologiam posse explicari ac perfici dicimus, ita multo magis in scientiam veri naturalis s. philosophiam cadere perfectionem progressionemque et rationis disserendi et ipsius cognitionis facile damus. At enimvero normam esse et regulam quandam naturalis quoque scientiae arbitramur. Nam Deus ut revelatam doctrinam in Ecclesia Spiritu Sancto mirabiliter opitulante conservat integram, sic idem, ut nobis quidem persuasum est, ipsa naturae animorumque constitutione vitaeque humanae moderatione providit, ut naturalis quaedam verae philosophiae manifestatio esset, quam nulla errorum varietas obrueret, quae non prorsus illa quidem sarta tectaque (ut aiunt) conservatur, sed tamen, in mediis procellis firma persisteret. Quod aliquo modo in ipsis antiquis et gentilibus usu venisse opinamur. Videmus et apud orientis populos et apud Graecos doctrinas maxime diversas maximeque singulares exstitisse, at Socratis philosophiam per Platonem et Aristotelem ad posteros solam transmissam et ad omnes populos politiores esse propagatam. Iam vero hos quoque exploratum est, cum tres essent viri longe sapientissimi tamen non tam novam excogitasse sapientiam, quam ea, quae ante eos alii docuissent, collegisse, explicasse, digessisse. Sed quid tandem est, quod

istorum sententiis tantam auctoritatem conciliavit ? Id ipsum, quod Socratem, ut simplicia veterum enuntiata retineret et ea argutiis arrogantiaeque sophistarum opponeret, commoverat. Sunt enim pleraque *insitis* hominum rationibus accommodata atque intimis concinunt sensibus.

At multo constantior fuit gradus philosophiae, postquam eum christiana religio stabilivit. Nam primum gratia sine dubio, dum animum hominis pervadit ac perficit, acumen addit etiam naturali rationi; deinde ab omni errore veritas divinitus consecrata investigantem facilius revocabat. Qua moderatione ratiocinandi libertas ita non circumscribitur, ut agendi libertas peccandi interdicto non tollitur. Ita in Ecclesia philosophia nata est nec conclusionibus animi humani naturae repugnans, nec rebus revelatae veritati contraria ; quae per saeculorum perpetuitatem ita opinionum vicit errores temere philosophantium, ut haereses omnes fidei sustulit doctrina. Cernimus maxime varias christiana quoque aetate conflatas esse disciplinas, nonnullas etiam ad tempus viguisse, sed usitatam philosophiam ut emendatam, ita confirmatam in suum dignitatis locum restitutam esse, et quomodo ecclesiastica historia arianos, pelagianos, nestorianos, ceteros haereticos commemorat, sic philosophiae historia scepticos, pantheistas, epicureos, stoicos, eclecticos, alios multos nominat.

Nec vero ignoramus esse, qui longe disparem intercedere rationem inter pristinam et recentem philosophiam defendant : *Aristotelis* opera paene omnibus saeculis fontem et caput fuisse, unde phi-

losophiae institutio derivaretur; *processus* ab illo ad Kantium aut nullos esse aut perexiguos; hunc primum tamquam alterum Aristotelem nostratium excitasse ingenia atque excitata in novas traduxisse philosophiae regiones. At non potest nisi qui nihil profici praeterquam interitu praesentium, nihil emendari praeterquam evertendo atque eruendo vetera censet, negare, a theologis ac philosophis pristinis, imprimis media aetate a S. Thoma, supremis saeculis a Suario veram allatam esse perfectionem magnamque amplificationem philosophiae. Qui non profecto graecum illum philosophum temere secuti, sed diligenter perscrutati sunt; cuius non eas solum opiniones, quae a revelata doctrina discreparent, sed alias etiam non paucas aspernati, tamen ipsam disserendi rationem ac maxime altissimas quasdam disputationes in omnem partem si non persecuti, at prosecuti sunt. Omninoque non tam res ab illo, quam artem philosophandi repetierunt; in quam sententiam praeclare Guenther (Vorschule der spec. Theol. I, p. 167) : « Dolendum est, inquit, postquam illi veteres in explicandis conformandisque catholicae religionis dogmatis doctissime elaborarunt, id tam non ad usum translatum esse quam *ad notitiam non pervenit*. Verissime enim dicunt, cum sacra doctrina toto medio tempore et *cogitationum* subtilitatem ab *Augustino* et ab Aristotele *disputandi* rationem mutuata sit, id et ipsi doctrinae utilitatem et fidei christianae firmitatem attulisse ».

Atque hanc ipsam philosophiam, quae disserendi modum ab illo Graeciae sapientissimo, cogitata a

clarissimo christianae aetatis lumine quasi hereditate acceperat, quae exculta est a Thoma Aquinate, Ecclesiae Doctore, in quo eodem acumen fuit Aristotelis et excelsitas Augustini et facultas de rebus altissimis tam simpliciter quam subtiliter disputandi; hanc, inquam, philosophiam, quae perpetuo non a Iesuitis solum, verum omnino a viris de Ecclesia eiusque doctrina adversus haereticos defendenda egregie meritis retenta perfectaque est, quaeque omni tempore omnibus in populis catholicis habita est et tradita et defensa pro ecclesiastica atque sincera : hanc Germania ad vocem primum hominis haeretici, imo vero eius, qui, cum *nihil* fide divina crederet, christianam atque adeo omnem religionem, nisi quae in sola honestate quadam contineretur, telis omnibus impugnaret, repudiavit, deinde scholae posteriores oblitterarunt atque obruerunt ! hanc eandem nos, nos, inquam, catholici si revocemus, veremur, ne in tenebras quasdam medii aevi retro redire videamur ! Extra Germaniam partim eadem hinc derivata venena manarunt, partim domestica erroris contagione philosophia infecta est.

Quod si parumper clamorem strepitumque praesentium doctrinarum contemnere et nostram aetatem ex praeteritis saeculis iudicare velimus : num possit haec recens philosophia aliud quidquam nisi una aliqua ex illis tristissimis videri erroribus, quorum recordatio pudore suffundat ingenti animos mortalium? An dubitare serio licet, quin aliquando ea de Kantio, Fichtio, Schellingio, Hegelio dicturi sint omnes, quae nos hodie de gnosticis et manichaeis dicimus, et eam condicionem

miseriae, in quam illis auctoribus detrusa est philosophiae investigatio, illi comparaturi sint perturbationi omnium sententiarum atque etiam morum depravationi animorumque quasi distentioni quam in Asia neoplatonicorum opiniones specie tam grandes et sublimes et ingeniosae procreaverunt? Dudum tempus fuit nos catholicos ad nostra redire neque amplius acceptis a protestantibus credere commentis, cum novam illam doctrinam, haeresis suae florem, falsam fatentes tamen grandem, tamen subtilem, tamen nescio quid omni antiquitate sublimius esse iactant. Sed est hoc quoque philosophiae erroribus cum haereticis commune, ut ii, qui eos praesentes videant, praeteriti temporis testimoniis discere, quales illi sint, nolint. Ut autem nunc ipsum labes protestantismi demonstrat, superiorum haeresum recentem hanc et natura similem esse et fortuna non dissimilem: ita exitu omnium novarum in philosophia doctrinarum metiri naturam earum ac proprietatem oportebat. Emori enim iamiamque philosophiae haeresis videtur, quamquam ferventior aestus fuit, quam ut sedari tam cito usquequaque potuerit.

Atque iterum hoc loco fatemur vereri nos, ne nunc, cum tanto ardore catholici coeperunt erigere sese atque commovere, durius iniustiusque locuti videamur. At hac ipsa aetate liceat homini catholico inter catholicos eam defendere doctrinam, quae in catholica Ecclesia nata amplius mille annis viguerit, et haec quantum praestet illi novitati, demonstrare! Constat enim inter omnes, nos catholicos in Germania potissimum, protestantium auctoritate quasi de statu deiectos ex

illo amore, illa observantia decretorum, caerimoniarum, legum Ecclesiae, quae propria est fidei vivae atque pietatis, aliquantulum remisisse. Nonne iidem fatebimur, in doctrina quoque nos propius ad protestantium vestigia accessisse? Num catholicam antiquitatem fastidire ab Ecclesiae inimicis discemus? Quamquam quid ego loquor? Fide enim sincera suscitata dubitandum minime est, quin in suum reditura dignitatis locum doctrina quoque sit ecclesiastica.

Sed cum solidam philosophiae institutionem atque adeo ipsius restitutionem quandam *reditu ad pristinam* esse perficiendam dicimus, quoniam iidem, quid de scientiae progressione sentiremus, explicavimus, videri non possumus in ea esse opinione, ut renovatis superioris saeculi « *compendiis* » rem confici arbitremur. Immo ea nobis utendum esse ratione censemus, qua magni illi Ecclesiae doctores et in theologia et in philosophia semper usi sunt. Quos novi errores ac mutata tempora moverunt, ut et aliquas doctrinae partes copiosius, accuratius, subtilius tractarent et alias pressius contraherent, utque in aliis disserendi modum, in aliis ipsius doctrinae conclusiones argumentave aliqua mutarent. At numquam viam prorsus novam ineundam aut in aliam quasi sedem universam doctrinam transferendam esse statuerunt ; numquam fulgore ullius novae doctrinae ita praestringi sibi oculos passi sunt, ut eam, quam Ecclesia profitebatur, desererent; in qua firmius consistere, e qua fortius propugnare studuerunt. Atque in hunc modum nos Kantii, Schellingii, Hegelii aetatibus confirmare gradum

et in vetere philosophia ac theologia quoquoversus circumspicere et investigare oportuerat, quomodo illius subsidiis respondere ad novas dubitationes quaestionesque possemus.

Dubitaverit forsitan quispiam, qui veterem doctrinam nisi ex uno alterove libello superioris saeculi non cognovit, possintne ab ea arma idonea ad oppugnandos revelatae religionis hostes sumi. At vero nisi recusarent viri docti primum S. *Thomae* et magni illius *Suarii* opera, deinde *Soti*, *Caietoni*, *Vasquii*, *Lugi*, *Lessii*, aliorum lectitare libros, reperire poterant in his scholasticis tam ignominiose contemptis non modo magnam altissimarum disputationum copiam, verum etiam illas ipsas novae philosophiae subtilissimas quaestiones de Dei natura, scientia, voluntate, de rerum creatione, de absoluti et relativi mutua ratione, de origine idearum, de fidei cum scientia comparatione, de libertate, providentia, gratia, has omnes, inquam, quaestiones alia omnino ratione, ac nos consuevimus, at tanta diligentia tantaque subtilitate pertractatas, ut minime dubitarent, quid illi eruditissimi catholicae Ecclesiae doctores ad has opinionum novitates responsuri fuissent. Cuiusmodi studia si hunc fructum ferrent, ut antiqua doctrina catholica, paullo illa quidem quasi vestita aliter, in pugnam adversus recentes opinandi varietates educeretur, libri autem scholastici superioris aetatis non repudiarentur, sed emendati ad huius saeculi utilitatem aptarentur — profecto et ipsa doctrina et scholarum institutio hac nova cum haeresi concertatione perficeretur.

VI

LATINAM LINGUAM ESSE REVOCANDAM.

Quamvis multi fuerint media aetate gradus in omni vitae cultu populorum, quamvis multa terra marique impedimenta mutuae consuetudinis, quamvis multa principum vel ambitione vel cupiditate excitata certamina atque bella : tamen eam fuisse illis saeculis animorum communionem videmus, quam hac nostra aetate frustra requiramus. Erant tum populis Europae omnibus quaedam communia, ac multitudines ad res communiter suscipiendas coniangebantur ; erat vitae condicio ex iisdem undique opinionibus descripta ac legibus plerumque eisdem ordinata; erant scholae maximae omnium nationum quasi gymnasia. At hodie etsi publice quaedam pax sustinetur; etsi de rebus omnibus communicandi subsidia praeclara inventa sunt, quae si audirent veteres, inter fabulas retulissent; etsi qui status sit omnium civitatum etiam maxime dissitarum, ex actis diurnis cognoscimus : nihilominus haud scio an nunquam tanta fuerit populorum disiunctio, separatio, alienatio. An quae est alia animorum communio praeter consensionem *partium*, quarum turbis exanimantur populi universi ?

Cuius mali causam nisi a fidei pristinae pietatisque demutatione repetere non possumus. Nam populi, quamdiu christisnis sensibus movebantur, si quando lucri cupiditate et gloriae ambitione

disiuncti erant, religione reconciliabantur ; e fidei communione similes omnibus vitae tum civilis tum publicae rationes manabant; Ecclesia, quamdiu eius iura a rerum publicarum rectoribus agnoscebantur, populos ipsa copulabat atque conglutinabat nec id solum per suum caput, summum Pontificem, sed omnibus institutis suis. Sed fides ubi deserta concidit, studiis mundanis regi omnia coepta sunt; his impellentibus res magnae suscipiuntur, his dirigentibus civitates administrantur atque adeo leges constituuntur, his artes, his litterae obnoxiae sunt; ex his omnia vel aestimantur vel despiciuntur, vel quaeruntur vel repudiantur. Sed est in studiis mundanis dissensio, est discordia, et quamvis artificiosis mutui commercii adminiculis gentes coniunxeris, nisi eas altiore rerum intuitione erectas consociaveris, animorum amicitias non conciliaveris.

Sed deserta fide vera atque viva Ecclesiae non modo illa communio sublata, verum etiam *subsidium quoddam aptissimum* devinciendi inter se populos abiectum est. Quamquam quid miramur? Nonne, quia ab Ecclesia erat suppeditatum eiusdemque utilitati, non soli id quidem, sed tamen illi praecipue, serviebat, satis fuit causae, cur aspernandum videretur ? *Latinae linguae* dico consuetudinem tam communem omnium Europae populorum, ex quo quisque eorum christiana amplexus sacra est. Iam vero linguarum diversitas sine dubio maximum animorum commerciis impedimentum obiicit, docetque fides divina eam puniendae superbiae humanae causa

permissam esse. Ecclesiae fuit, ut uno imperio spirituali gentes consociare, ita linguae quoque (quemadmodum existimare licet) eis communionem, tamquam praeclarum Providentiae donum, reddere. Et utebantur olim omnes in Europa occidentali christianae gentes, ut in cultu divino, sic in litteris subtilioribus lingua eadem eiusdem illius Ecclesiae, a qua tamquam a parente sacra christiana, vitae cultum, ipsas litteras acceperant. Poterat autem in religionis sollemnibus servari lingua latina, propterea quod ad pietatem non tanti refert, verba singula a populo intellegi, quippe quibus res divinae explicentur et ornentur, quanti sententiam, vim, gravitatem actionis universae percipi. Item in subtiliore doctrina facile erat dicere latine, propterea quod scire latine eruditis necesse erat. Facile fuit, inquam, latine loquendi scribendique consuetudinem servari; at idemne utile? Iam alienum est hoc loco explicare, cur in divino cultu id fieri oportuerit; hoc unum significamus, ipsius linguae communione magnam omnibus cum Romana ecclesia necessitudinem effectam esse. Sed inter doctos latinam linguam usurpari, num expedierit, hoc nostrum est investigare.

Ex *Italia* medii aevi populis cum doctrinae rivuli ducti essent, ea ipsa re movebantur, ut illam linguam in scholas suas inducerent, cum praesertim ipsorum linguae cultae minime essent. Qua tamen ex re nondum intellegitur, cur illis saeculis, cum litteris iam domesticis florerent et plurimos patria lingua scriptos haberent libros, nihilominus eundem morem servarint. Nam et Italia

et Gallia et Hispania et Lusitania et Anglia etiam atque Polonia, cum maximi poetae oratoresque auream domesticarum litterarum aetatem inducerent aut induxissent, tamen altiores doctrinas cum profanas tum sacras habuere latine et in scholis traditas et in libris tractatas. Unde id tandem persuasum est? Nempe sensu quodam rectissimo existimantium, ut artis opera sua natura cuiusque nationis propria, ita doctrinarum fructus omnium gentium atque temporum et posse et debere esse communes.

Ut enim omittam, *artis* opera non eruditorum solum esse, sed aut plurimorum aut omnium, natura ipsa est artis eiusmodi, ut communia in singularibus, aeterna in fluxis, immutabilia in caducis efficta exprimat; animos afficit movetque et vera pulchritudinis vestita specie ad vitam transfert ac sensum. Atqui sensus ex omni varietate rerum ac temporum, quibus vita cuiusque concluditur, aptus est, nec ad usum vitae veritas traduci nisi proprietati cuiusque condicionis accommodata potest. Quamobrem *eloquentia et poesis* applicare se ad res moresque cuiusque populi, ad ingenium, sensus, fortunam, ad necessitatem et consuetudinem debent. Quid igitur his magis consentaneum quam orationem usurpari popularem? Age vero cum formae proprietate potius, qua ars ornat veritatem, quam rebus ipsis vis gravitasque quaeratur, iis opus est ad animos afficiendos ornamentis, iis coloribus, quibus raro quisquam peregrino sermone utens potitur.

Diversa est ratio *doctrinae*, quae singularia ac propria missa faciens communia consectatur, fluxa

ac brevia quantum licet a se removet, aeterna ac stabilia complexa absolvitur. Cuius investigationes cum populi cuiusque aut vitae cultu aut morum proprietate connexae non sunt, nec inventa ad vulgi eruditionem praecipue diriguntur, nec cogitata vestitum ornatumve alium requirunt, nisi quo perspicue, definite, integre exprimantur. Consequens est, opinor, ut doctrina nec argumento, nec fine, nec forma certo cuidam populo sit ita accommodata, ut omnium communis esse aut non possit aut (quoniam potest) non debeat.

Quis enim enumeret, quot emolumenta doctrinae allaturum sit, *unius linguae communione*, quot ubique sint viri eruditi ac litterati, coniungi atque commercii mutui impedimenta omnia auferri ? Si inter unius nationis viros doctos sententiarum communicatio tantum habet utilitatis adiunctum : quanto futurum sit adiumento scientiae, doctissimos quosque omnium gentium ea inter se uti necessitudine ! Neque hic copiam potissimum scientiae et inventorum multitudinem generatim spectamus, sed maxime studiorum ipsorum proprietatem. Fit enim, ut unius cuiuspiam nationis indole atque ingenio et rerum condicione secundarum atque adversarum litterati adducantur, ut ad aliquam partem doctrinae studiosius se applicent et constantius incumbant. Iam vero si expediti undique sunt aditus, ea quae erunt unius populi propria, cito reliqui omnes illinc mutuabuntur ; sin impedit linguarum differentia, diu plerumque et saepe perpetuo, quos quaeque terra tulerit ingeniorum fructus, eos finium angustiae concludent.

Adde quod unius populi studia separata vitio quoque solent laborare suo; quo carebunt et maximo detrimento doctrina ipsa levabitur, si usu mutuo populorum alia multa ostendentur studia et ingeniorum ardor, qui nimio aestu effervescere consuevit, obiecta lentitudine exterorum sedabitur. Denique si error erit impugnandus, illa consuetudo mutua omnes nobis amicos veritatis conciliabit sociosque adiunget, qui quidem e longinquo contemplati saepe citius, unde sit inimicus adoriendus, videbunt. Reformationis aetate Romae Bellarminum, Parisiis Maldonatum eadem sapientia eademque felicitate, qua in Germania Canisium aliosque theologos, ipsius Germaniae tractare controversias cerneres; contra ad hunc usque diem dum Kantii, Schellingii, aliorum errores refutamus, destituimur ab omnibus. Fortasse nec tam cupide tamque assidue nostrates plerique subtilitates sectati, nec tot theologi alienam ab Ecclesia doctrinam amplexi essent, si, quotquot in Germania fuerunt catholici, sua cum exteris cogitata inventaque lingua communi permutare perrexissent. Quod ita dictum volo, ut ad omnia genera doctrinarum accommodetur.

Plurimum nos Germani contulimus ad latinam linguam loco suo demovendam; iidem querimur, quod ceterae nationes nostrarum litterarum parum studiosae sint. Quid igitur? omnesne doctos omnium populorum, qui humanitatem amplexi sunt, ediscere linguas volumus? Nostrum ipsorum, qui tantum latinae linguae subsidium ad discendas gallicam, hispanicam, italicam, anglicam habeamus, quotusquisque quamvis eruditus plus una

aliqua illarum probe novit? Oportebat autem non doctos solum, sed discentes omnes celeberrima quaeque opera exterarum nationum posse legere. Ceteris vero nationibus, ut germanice discant atque anglice, iniungere, tantumdem est quantum a nobis exigere, ut russice ac polonice discamus, tantum, inquam, quantum dimidiam vitae partem linguarum studio ascribere.

Ergo *translata* illa opera legemus, ceteri nostra ? Optimum id quidem; at non sunt aliae nationes tam cupidi, quam nos ipsi, ut tanto labore notitiam externarum litterarum comparent, quis autem mores mutet populorum ? Vicissim pervulgatum est, quam frequens illis nobiscum communicatio tum fuerit, cum latine loquendi scribendique consuetudo floreret inter eruditos. Atque egregie fallamur, si apud nos, quaecumque ab exteris praeclare scripta sint, interpretando divulgari opinemur. Ipsa illa maxima opera, quibus fructus diuturni laboris continentur, rarissime suum nanciscuntur interpretem, ac plurimorum annorum studia saepe tenebris obruta delitescunt. Postremo manca est interpretationum utilitas. Sane quia doctrina multo minus, quam ars, ab elocutione commendatur, paullum detrahi interpretando dixeris doctorum libris; sed alia sunt impedimenta.

Nam oratoris ac poetae oratio popularis est, quam, quicunque sunt eiusdem linguae periti, ut operose fortasse interpretantur, ita facile intellegunt. At inter eruditos eam orationem usurpari necesse est, quae ab usu communi aliena sit ac paene semper omnino singularis. Interpretis erit igitur, non solum linguam externam, sed etiam

proprium dicendi modum nosse doctorum. Adde quod, quemadmodum poetam nemo satis recte vertere in aliam linguam potest, nisi qui sentire ut ille didicit, item viri docti librum interpretari nemo, nisi qui eum cogitando secutus est, potest. Iam vero non ingeniosissimus quisque solet ad interpretandum se applicare. Postremo interpretem oportet doctorum sermonem externorum in suorum popularium orationem subtiliorem transferre; sed quoniam alio in alia regione docti utuntur dicendi modo, accidit, ut quo exteri utantur, eodem nos minime utamur. Quod quidem tum potissimum evenit, cum aliqua natio, a ceteris digressa, suam ingredi doctrinae viam coepit. Ostende, amabo te, hominem Gallum aut Italum, qui interpretatam Hegelii philosophiam recte ac plene perceperit.

Verum hoc concedamus, interpretando gravissima quacque exterorum scripta in omnium doctorum usum transferri posse : num *librorum* tantum commercio iungi eruditos oportet? Cur non libellis quoque vel commentariolis certo tempore vulgatis omnium terrarum litteratissimi cogitata, inventa, dubia, disputata inter se perpetuo communicent? Ne epistularum quidem atque itinerum commercia hic neglegenda sunt. Quid vero utilius, quam linguae communione adiutos omnium gentium doctissimos studiosissimosque litterarum in *academiis* consuetudine atque convictu inter se coniungi? Quod olim usu venit, cum Lutetiam, Oxoniam, Bononiam ex omni Europa magistri discipulique convenirent. Quot praeiudicatas dimitti opiniones, quanta

copia amplificari cogitationes, quam facile vitari sententiarum singularitatem, quam ardenter incendi studiorum aemulationem, quam cito diffundi per orbem terrarum lumen obortum doctrinae necesse fuit! Sua enim sponte laudatissimus quisque vir doctor exstitit orbis terrarum, non solum quod ad eum undique discipuli concurrebant, verum etiam quod ipse in scholis omnibus docere sine negotio poterat. Velut S. Thomas Italus Alberti Magni Oxoniae auditor fuit atque ipse ibidem scholas primum habuit. Item S. Bonaventura Lutetiae Parisiorum, ubi docere coepit, scholas adierat Alexandri Alesii. Hic illinc Oxoniam se magno discipulorum comitatu transtulit. Post aliquanto Maldonatus Hispanus in Gallia, Gregorius autem ille Valentiae in Hispania ortus Ingolstadii docuit et Romae. Atque ut non solum theologos loquar, Cuiacius ille Gallus lumen fuit Taurinensis academiae; Gotofredus autem relicta Gallia ius explicavit in Germania; Clavius et Kircherus e Germania, Lesueur et Jacquier e Gallia Romam acciti sunt. Hactenus de aequalium mutuo commercio; quid vero? nonne ad *posteritatem* doctae investigationis inventa transmittenda sunt? Nihilne a superiorum saeculorum viris doctis nobis discendum est, praeter id quod huius aetatis scriptoribus ab illis mutuandum et in suos libros praeceptionesque transferendum videtur? Id quod paene iam res est: oblitterata enim latinae linguae notitia ac fere exstincta nec alumni artium hodie nec scriptores plerique aut professores opera antiqua attingunt. Atque hoc quoque loco Borossiae magistratus audire licet id ipsum,

quod affirmamus, tamquam malum exploratum deplorantes. Duodecim anni sunt, cum, ut tunc quidem in re praesenti edocti sumus, illi imperarunt, latine in posterum de iuris scientia examinari. Quid ita? Ut cogerentur adulescentes latinae linguae studium persequi in universitatibus; quod nisi fieret, scriptorum eos veterum magno cum detrimento suae doctrinae studium neglecturos. Nos cum rationem eius mandati maxime approbemus, ipsum aptum dicere non audemus. Nam professores nisi latine instituent, exercitationesque discentium nisi latine fient, perfici aegerrime poterit, ut loquendi latine ea sit facultas, qua ad respondendum opus erit. Ita modo imperiti habebuntur ii, qui ea, quae didicerint, eloqui non possint, modo eloquendi difficultati tribuetur, cum aut scientia deerit aut cogitandi exercitatio deficiet.

Saepe dictitatum est, *germanicam* linguam esse philosophiae peridoneam, quod et verbis abundet gravissimis et copiam doctrinae maximam ipsa contineat. Nec vero negamus, nonnulla verba germanica latinis aptiora esse, alia vel origine vel compositione vera quaedam significare. An latina verba non sunt item permulta, quae magis proprie res ipsas designent, quam si iis germanica substituas? Non in latina quoque lingua, si investigare libuerit, reconditam quandam philosophiam reperiemus? Quanquam, si haec ipsa quaeritur, quid prohibet de patria lingua inquiri? In qua si quid veri inventum erit, id illi non sic erit connexum atque cohaerens, ut exprimi alia lingua non possit. Ac tamen videndum est, ne nostrates

huiusmodi res consectantes ad easdem opinionum argutias deveniant, quas ridemus in Cicerone atque in ipso S. Augustino, cum res gravissimas latinorum vocabulorum interpretatione demonstrare conantur.

Verum esto, sit aliqua in hoc genere patriae linguae utilitas ; tantane est, qua illa compensetur quae in mutua communicatione posita est aetatum omnium ac populorum? Non opinor. Dixerit quispiam : « Unius ordinis hominum erit, si latina lingua utemur, doctrina : ad *multitudinem* non permanabit. » Quippe doctis proposita ad eos solos pertinebit, qui ad eam percipiendam utendamque parati accesserint. Quid igitur? Annon dubitare licet, plusne detrimenti attulerit ipsi doctrinae exterarum gentium exclusio an omnium civium admissio atque invitatio? Sane ingeniorum fructus communicari oportet cum omnibus iis quibus usui esse possunt, at apte temperari atque ad populi captum accommodari. Sed ipsae doctorum disputationes cum patria lingua fierent, accidit, ut multi invita, ut aiunt, Minerva suoque maximo detrimento ad subtiliores litteras se applicarent. Quod olim timendum non fuisset, cum doctorum opera describendo multiplicata ad infimos, qui legere plerumque nescirent, non divulgabantur ; at hodie, cum legendi infinita aviditas est et ad eam sedandam innumerabiles officinae exercentur, cumque dubitandi temeritas ac iuducandi insolentia cotidiani sunt usus : qui fieri potuit, quin tanta semidoctorum turba ad doctrinas omnes, imprimis vero ad philosophiam, ethicam, ius civile, theologiam, advolaret?

Quam cupiditatem quid consequi necesse fuit? Duo fere sunt, quae requirantur, ut doctum opus intellegas : animum sic excultum esse oportet, ut disputationis subtilitatem assequare, sermonem autem doctorum sic percipi, ut suam cuiusque vocabuli proprietatem discernas. Iam vero accidit malo duplici, ut illi leviter eruditi et ipsum opus patria lingua conscriptum aliquo saltem modo ac mediocriter intellegant et verborum quoque vim doctis usitatam ex vulgaris usus similitudine obscure dispiciant. Satis igitur vident, ut legendi curiositas excitetur, parum, ut scientiae utilitas consequatur ; satis, ut videantur docti, parum, ut sint. Quid igitur doctrinae divulgatio nisi studendi levitatem parit et scientiae inopiam et opinionum perturbationem et omnis generis errores?

Neque vero lectores solum imparatos magno numero ascivit, verum etiam scriptores ineptos plurimos fecit. Unde enim tot libelli nati sunt et cotidie nascuntur, quibus gravissimae et saepe altissimae doctrinae quaestiones non minore ignorantia quam arrogantia edisserantur? Nonne aliquando ipsae narratiunculae aut epistulae putida doctrinae ostentatione et ridicula argutiarum consectatione distinguuntur? Quis vero coniectura assequi possit, quantum ea res et verae doctrinae damnum et religioni atque honestati detrimentum attulerit? Non minus enim quam ad stabiliendam fidem pietatemque augendam solida doctrina, ad subruendam fidem moresque depravandos leviter eruditorum vel ignorantia vel arrogantia valet.

Atque ex his, quae hactenus dicta sunt, colligi

licet profuturum esse litteris, si subtiliores illae latine, ut pridem, tradantur. Sed tum in *gymnasii* quoque classibus supremis aliqua saltem praecepta latine proponebantur, atque aliquanto iam ante pueri loqui latine discebant. Quod quam fuerit utile ac necessarium, ut id in superioribus scholis nossent, nemo non videt. Requirebatur enim facultas non mediocris, ut et latine docentem assequerentur et ipsi sua cogitata eloqui possent; iam vero, ut non dicam eiusmodi facultatem a pueris comparari facillime, magnae futurum erat molestiae magnoque obstaculo superiorum studiorum alumnis, aliquamdiu iis scholis, quas non facile intellegerent, iisque exercitationibus, in quibus linguae impedimento haesitarent, interesse. Convenit hodie inter omnes, adulescentibus litterarum studiosis latinam linguam perdiscendam esse; num dubitabit igitur quisquam, quischolarum usum habeat, quin nullum subsidium sit facilius atque praesentius quam latine loqui loquentesque audire?

At et illa lingua, inquies, corrumpetur et patria neglegetur. Corrumpetur? An bene loqui assuefacere discipulos difficilius est, quam bene scribere? Magister conetur latinitatis esse ipse expertus: discent eam auditores non minus facile quam barbariem. Esto, fuerit olim in huiusmodi exercitationibus aliqua latinitatis corruptela, neque enim veteres omni errore aut vitio liberamus, dummodo id ne in ipsa scholarum institutione positum fuerit, sitque vitii vitandi facultas penes magistrum. Vicissim negari non debet fuisse tempora, cum ita fere et scriberent latine et dicerent, ut

minime fuerit pudendum. Age vero si quid sit de integritate sermonis remittendum, ut facilitati accrescat, non id denique melius sit, quam grammaticam pernosse, linguae vero ipsius imperitissimum esse? Quodsi fateri volumus id, quod res est, concedi oportet, quamvis de litterarum progressione mirifice gloriemur, tamen eos, qui rite absolutis studiis e gymnasiis dimittantur, ne legere quidem facile atque expedite latine scripta scire, nedum ipsi sua cogitata vel oratione vel scripto eloqui latine possint.

At patria lingua neglegetur. — Nonne usu discendum est, quatenus id vere dicatur? Romanis autem usu venit, ut ipsorum lingua tum perficeretur, cum graecae non solum studium, sed etiam usurpatio per Italiam frequentaretur. Qui in litterarum institutione iam inde ab Ennii aetate graeco sermone utebantur, et Cicerone teste cognoscimus, ut ipsum, sic ceteros omnes, qui quidem humanitati studerent, a pueris graece et loqui et scribere solitos esse (cf. ea de re etiam Quint. Inst. or. 1,1). Atqui ab his ipsis latinitas perfecta est. Age Italorum, Gallorum, Hispanorum, Lusitanorum, Polonorum linguae quando tandem formatae eorundemque optimi scriptores quando exstiterunt? Nonne tum ipsum, cum latinitatis divulgari studium coeptum esset? Nec vero labi domesticas eorum litteras videmus, cum pergerent et in scholis docere ac disputare et de subtiliore doctrina scribere latine. Sed in Gallia medio iam proximo saeculo doctissimi viri divinarunt, periculum imminere sermonis elegantiae atque integritati, quod antiquitatis studia neglegi

inciperent. Sed patres Societatis Iesu quoniam cupidissime latinae linguae studuerunt, non est alienum hoc loco significare, fuisse in iis, qui de litteris patriis optime sunt meriti, atque in iis, quorum maxima est laus scribendi elegantiae, et ipsos Iesuitas et Iesuitarum alumnos. *Bossuetii*, *Corneille*, *Fénelon*, *Fléchier*, *Bourdaloue*, *Bouhours* clara sunt nomina, adde sacrae eloquentiae inter Gallos quasi parentem *Lingendes;* adde Italos *Tasso*, *Segneri*, *Bartoli*, *Pallavicini*, Hispanos *Toletum*, *Florentiam*, *Rodericium*, Lusitanum *Vieiram*, *Skargam* Polonum. Sed praeter eos quantus est numerus eorum, qui, cum inter principes bene dicendi non numerarentur, essent tamen patrii sermonis sic periti, ut in iis ars, copia, gravitas minime mediocris cernerentur!

Qui omnes in eiusmodi scholis eruditi erant, in quibus latinae linguae exercitatio perpetua maximeque varia adhiberetur. Neque enim ea consuetudo magis obest patriae linguae integritati, quam omne studium antiquitatis; immo vero cum ipsa veterum cognitio linguae exercitatione iuvetur, patrius sermo elegantia augetur. Nam necesse est eos, qui latine loqui ac scribere assueverint, scriptores veteres et legere facilius et aestimare rectius et imitari studiosius. Quam eandem ob causam moris erat olim, ut carmina quoque latina fierent a pueris, atque apparuit in *Bossuetio et Segneri* et aliis, eos fere, qui in illis exercitationibus praestitissent, oratores postea evasisse patrii sermonis peritissimos. « Non enim », ut ait *La Harpe*, « hoc loco, quanti Horatius et Vergilius carmina nostra la-

tina facerent, quaerimus ; at componi a nobis versus latinos necesse profecto est, ut, quanta illorum uterque quamque mirifica fuerit elegantia, quanta numerorum laevitate, quanta rerum omnium pulchritudine, intellectu sensuque hauriamus ». Imprimis vero huiusmodi tractatione linguae peregrinae vis ingenii intenditur atque ita acuitur, ut omnem cogitata exprimendi varietatem in potestate habeat. Iam quisquis in huiusmodi palaestra exercitatus tam praeclara simul veterum exemplaria iudicio assecutus erit, is patriae linguae pulchritudinem et facilius sentiet et acrius exprimet et quoad licebit perficiet.

In *Germania* omnino sic evenit, ut patriae litterae tum efflorescerent, cum Societas Iesu exstincta, latina lingua superioribus e scholis paene amota, in inferioribus illae exercitationes iam omitti coeptae essent. Quod nisi aliis causis nec temporibus potius effectum est, si merito ii qui in Germania erant Iesuitae accusantur, quod immoderato latinae linguae studio domesticarum litterarum progressionem retardaverint ; demonstrant tamen eae res, quas modo gravissimas ac plurimas extrinsecus mutuati attulimus, id nec a Societatis Iesu consuetudine nec a latinae linguae usurpatione, qualem hic defendimus, repetendum esse. Quamquam haud scio an ipsos scriptores nostros optimos testes in hac causa adhibere mihi liceat. *Klopstock* enim et *Denis* et *Lessing* et *Schiller* et alii poetae scriptoresque eximii in iis scholis instituti erant, in quibus et omnino antiqua consuetudo vigeret et latinae linguae studium maxime floreret. Duo illi primi, quibus auc-

toribus non tenuiter formatum esse sermonem nostrum fatemur, etiam quaedam nobis reliquerunt latine inchoata, unde facile cognoscas, eos illi linguae studiosissime operam dedisse. Iam ipse Klopstock quod consuetudinem linguae latinae acriter impugnavit, non continuo sequitur, ut id aut ipse aut alii iure fecerint. Neque enim semper homo recte iudicat, qua potissimum re adiutus formatusque sit. Nam artium quoque institutionem aliasque scholarum consuetudines quidam nostrates acriter reprehenderunt. Nacti sunt, qui sibi obtemperarent : latina lingua, artium institutio, aliae consuetudines e scholis exsulant. Num totidem scriptores egregios haec *nova* ratio informavit? In Gallia quidem et Italia, ubi mos pristinus servatus est, amplius centum annos elegantia viguit; apud nos cito flac cescere coepit.

Atque haec de infimarum scholarum exercitationibus dicta sint; declarant autem eorundem scriptorum externorum, quos supra nominabamus, praeclara exempla, continuatam in *superioribus* scholis linguae latinae usurpationem non plus detrimenti patriis litteris attulisse. Mitto quod illi omnes altioribus doctrinis latine instituti sint ; quid quod multi eadem lingua de eisdem scholas ipsi habuerunt atque adeo libros, qui omnibus magnopere probentur, conscripserunt ? Quid opus est hic nomina velut Bossuetii, Toleti, ponere ? E nostratibus occurrit *Fridericus a Spee* S. J., qui id aetatis, cum carmen illud « Trutznachtigall » modularetur, « Cautionem » quoque « criminalem » latine scripsit, quo in opere non so-

lum doctrinae copiam, sed etiam orationis vim ardoremque admiramur.

Neque vero haec nova sunt aut singularia. Nam poetas, oratores, rerum scriptores, non philosophos, mathematicos, theologos, iuris peritos, speramus stabilitatem atque incrementa allaturos litteris patriis. Et licet idem sit aliquando argumentum, de quo dicant utrique, tamen et proposito et sententiis et dictione longissime inter se discrepant. Qui poterit igitur consuetudo de huiusmodi rebus latine, sed nude docteque dicendi ingenia retardare atque impedire, si quando visum erit carmen aut narrationem aut orationem liberiore patrii sermonis flumine loqui ? Sed idem ex hoc licet intellegi, quod illos summos theologos, quorum latina opera exstant, velut Thomam Aquinatem, Melchiorem Canum, Salmeronem, Canisium accepimus oratores quoque et catechistas fuisse maxime populares, tantamque patrio sermone dicentes plebi utilitatem, quantum latine scribentes doctrinae fructum eruditis attulisse. Sed in contingere eis numquam potuisset, nisi de eisdem rebus, de quibus latine apud doctos dissererent, facile et copiose et ardenter in publico dicerent. Postremo ne hoc quidem vere affirmatur, illam latine loquendi consuetudinem impedimento esse, ne quis doctrinae praecepta institutionesque patrio sermone tradat. Oratores enim eximii et poetae fortasse pauci sunt, qui duabus linguis uti possint; at docti plurimi et sunt et fuerunt, qui de litteris atque doctrinis tam latina quam sua lingua commode et expedite et, ut in huiusmodi argumento, eleganter dicerent.

Reliquum est, ut quae de latinae linguae in scholis usurpatione generatim disseruimus, proprie ad *theologiam* accommodemus. Atque hoc loco licet cognoscere, quam illa, ut ceteris disciplinis utilis, ita huic sit prorsus necessaria. Annon ad sacram doctrinam penitus comprehendendam omninoque ad eam recte intellegendam perpetua communio notitiaque requiritur ecclesiasticae antiquitatis universae ? Nonne Conciliorum atque Pontificum decreta, Ecclesiae ritus atque consuetudines, leges scriptaque publica, sanctos Patres ac partim pristinos quoque theologos paullo clariores nosse oportet et pervestigare ? Atqui patrii sermonis usus effecit, ut id studium aut neglegeretur aut fructu suo privaretur. Neglectio enim unde allata esset, testis nobis fuit Borussiae magistratus. Et certe quidem theologi nostri, tenuem adepti in gymnasiis, non institutione, sed tamen exercitatione deficiente, usum latine scripta legendi eoque inter philosophiae studia omnino fere destituti, ad altiora accedentes nec audent nec volunt sic ecclesiasticos scriptoribus operam dare, ut Livio et Ciceroni olim consueverant. Quodsi vellent, intellegere tamen saepe non possent. Sunt enim apud illos et propria quaedam ac sollemnia et alia plurima id genus vocabula, quae etsi maximam partem apud profanos quoque scriptores inveniantur, nihilominus a theologis, vel necessitate vel consuetudine, immutentur, varientur, transferantur, ut, quisquis veterum litterarum peritus est, facile animadvertat, quam saepe ecclesiasticae latinitatis ignaris et interpretationes falsae verborum et explicationes sententia-

rum incongruae obrepere soleant ; idque et libri demonstrant et commentarioli.

Atque ut de proprietate vocabulorum, dictionum, formularum pauca dicamus : nec ulla alia nec sacra doctrina carere definitis quibusdam loquendi modis potest. Nam et res ipsae, quas tractandas suscepit, minime vulgares sunt atque cotidianae ; quas ut definite enunties, aut usitata verba immutanda et tamquam signanda, aut alia derivando iungendoque novanda sunt. Rursum in propriis huiusmodi vocabulis erroris est periculum tanto theologis funestius tantoque etiam incautis et paullo solutioribus praesentius, quanto saepius de iis agitur rebus mysteriisque, quorum si falsae aut obscurae sint notiones, eae haud ita facile ratione sola corrigantur. Itaque iam inde ab Arianis usque ad hanc aetatem maximum discidium disceptationemque gravissimam inter haereticos et orthodoxos fuisse videmus, quibus potissimum vocibus notiones dogmaticae signandae essent ; ob eamque causam capitalis error est quorundam scriptorum recentium, vocabulorum proprietatem a scholasticis definitam ob hanc ipsam auctoritatem despicientium. Sed certae adhiberi loquendi formulae *tum* coeptae sunt, cum scribi de theologia coeptum est, magnamque partem earum, quibus nunc latine dicentes utimur, a Tertulliano primisque Patribus latinis quasi hereditate accepimus. Quae formulae, ut ipsa theologia, concertationibus haereticorum amplificatae a saeculo ad saecula maiorum auctoritate transmissae eaedem fere permanserunt. Quarum non una alterave, sed plurimae in Con-

ciliorum decretis atque canonibus, in Pontificum bullis ac brevibus, in scriptis aliis et documentis non paucis, qui fontes studii theologiae ipsa moderante Ecclesia habentur, usurpatae sunt. Et earum aliquot, cum adversus Arianos et sexti decimi saeculi hereticos doctrina catholica tuenda esset, eiusdem Ecclesiae auctoritate etiam explicatae sunt; sexcentae sunt aliae, quae ab ea frequententur non explicatae. Has in quam sententiam interpretabimur? Nempe in eam, quae vel semper vel (si recentiores sunt) tum fuit theologis usitata cum de quoque capite doctrinae studiosius disputatum est. Nam qui eas sic adhibeat, ut non id velit significari, quod consuetudo ferat scholarum, absurde faciat. Quae cum ita sint, non tam formulas cognosci semel constitutas oportet, ut theologia intellegatur scholasticorum, quam haec ipsa pertractanda est, ut et illas et illarum adiumento Ecclesiae dogmata atque decreta intellegantur.

Iam vero discentes ac tirones unde proprietatem cognoscent vocabulorum, quae et momenti sit gravissimi et universam pervadat theologiam? An eam ipsi pervolutandis antiquis theologis eruent? Qui tandem est igitur usus magistrorum, nisi hi explicandis potissimum definiendisque notionibus ducunt diriguntque discentes iidemque erutos e tot operum maximorum copia fructus colligunt? In libris autem patrio sermone scriptis itemque in oratione vulgari potuerat sane inseri explicatio aliqua vocabulorum illorum omnium; sed experti scimus ipsos magistros patrii sermonis usu ante ceteros falli. Nam et in iis libris, quibus hodie theologiae summam comprehendunt, notio-

num theologicarum definitiones desideramus, et in nobilibus quoque scriptoribus exiguam earum notitiam esse adducimur ut suspicemur. Etenim qui modo magnopere laborant, ut formulae cuiuspiam Conciliorum possint enucleare sententiam, et mira de illa ac singularia opinantur; modo eas investigationes, quibus plurimum veteres tribuebant, cavillantur; modo etiam falsa plenaque erroris e quibusdam vocibus formulisque ecclesiasticis (usitatissimis aliquando) concludunt: eos ob hanc fere causam errare arbitramur, quod illas e libris ecclesiasticis antiquis cognoscere gravantur. Quod quoniam professoribus iisque spectatissimis usu venit : quid tironibus ? quid mediocri praeditis ingenio?

Adde quod recentiores, licet parum studeant definitionibus, tamen facere non potuerunt, quin aliquas constituerent in theologiae disciplinis dictiones quasi statas ac legitimas; itaque partem earum e patria lingua novarunt. In quibus num est ulla scriptorum consensio ? ulla constantia ? imprimis satis firma auctoritas, Ecclesiae consuetudine paullatim conciliata, consecrata, posteritati commendata? A protestantibus permultae et recentibus philosophis ascitae sunt; quibus quid aliud, nisi quod philosophorum nostratium orationi, eveniet, ut ad impediendam intellegentiam plus valeant quam ad iuvandam, plus ad perturbandas, quam ad illustrandas rerum notiones ? Nimirum facile esse opinantur, alicuius artis atque etiam theologiae perceptiones verbis notare, signare, terminare !

Verum ut sit haec nova notatio recta, sit defi-

nita, sit stabilis, sit absoluta : erit unius aetatis viris doctis in hac nostra patria utilis fortasse et ad communicandum inter se idonea, at cum ceteris gentibus cumque praeteritis futurisque aetatibus nullane erit ne in theologia quidem communicatio ? Berzelius *Beudant* Gallum acerbe reprehendit, quod in naturali scientia rerum nuncupatione gallica usus sit. « Si Angli », inquit, « si Germani, si Itali idem faciant, nihil fiat in rerum appellationibus ullo modo melius, nihil magis perspicuum, nihil magis definitum, multa obscuriora atque difficiliora. Quamquam prudentia plurimorum optimorumque physicorum confidere licet, fore, ut tot tantaeque utilitates non ostentationis causa abiiciantur. *Communis* est enim, ut praeclare scripsit *Humphry Davy* omnium gentium doctrina nec ullius aut loci aut temporis angustiis concluditur ». Haec ingeniosi homines de profana doctrina ; quid nos, theologi catholici ? Nos *communitatem* populorum ac temporum mente assequi non poterimus ? Immo Berzelii illud usurpemus : Quid, si Itali, si Galli, si Poloni, si Angli, si Hispani, si ceterae denique quae ubique locorum sunt nationes nostrum imitatae exemplum patrio sermone theologiam tradant suamque fabricentur quasi nomenclationem theologicam : quae sit via reliqua populis catholicis conferendarum inter se opinionum ?

Quid, si quando ad *Concilium* aliquod totius orbis episcopi publice evocati erunt, quomodo colloquentur atque consultabunt inter se vel ipsi Ecclesiae pastores vel quos quisque theologos secum adduxerit ? Nonne ii, qui patrio sermone de

theologia et disputare et scribere consueverint, quamvis sint litterati atque docti, latine aegerrime poterunt cogitata enuntiare ? nedum possint copiose, graviter, acriter, ardenter dicere, praesertim cum in huiusmodi causa nonquaelibet, sed ecclesiastica desideretur latinitas. Quem hunc tandem morem intellegemus, quo animorum commercia inter doctores pastoresque gentium omnium catholicarum impediantur ac retardentur, conventus autem sollemnes Ecclesiae, quibus tantum afferatur adiumentum disciplinae, honestati, fidei orbis catholici, paene omnino intercludantur ?

Sed ut communem esse omnium temporum ac populorum sacram doctrinam magis quam ceteras necesse est, ita eam ad omnes *divulgari* multo periculosius. Caveri enim nunquam satis potuit, ne vel nuda dogmatum explicatio, qualem omnibus patrio sermone tradimus, male interpretata et a fanaticis distorta ad excusandam impietatem flagitiosamque improbitatem adhiberetur. Quod periculum si prohiberi omnino non potest, num etiam augendum sine necessitate et ob rationes inanes multiplicandum est ? Vetat Ecclesia ipsos libros sacros in patrium sermonem conversos nisi cautissime divulgari, ne forte indocti ac leves eam perperam, cum suo ipsorum detrimento maximo interpretentur ; at nos universam divulgare theologiam non veremur ? Dolemus ludimagistros nostros philosophiam, sutores sartoresque ius naturale et publicum tractare : at infinitis partibus funestius est, istos theologiae opera manibus terere. Quot ibi res sunt, quae nec intellegi

ab imparatis nec nisi summo cum periculo legi ab ignaris possint!

Atque haec ut de doctrina ipsa, quam tradimus, ita maxime vel imprimis de adversariorum commentis, quae confutamus, dicta volo. Oratoribus enim et catechistis iure solet commendari, ut caute dicant de fallaciis, quibus veritas plerumque impugnatur. Quas percipere saepe facilius est quam discutere; atque etiam paratiores ad dubitandum et omne malum, quam ad credendum et bene agendum, mortales cavillantibus citius quam respondentibus aures praebent. Nam ut inhonesta ac lubrica, etiam consilio non malo scripta, et irritamenta sunt plerisque sensuum et incautis blandimenta admodum periculosa: ita quae adversus fidei doctrinam argutiae ac declamationes opponuntur, eae et irritant animos et blandiendo decipiunt. Illi, ad quos id officii pertinet, qui bene parati veniunt, quibus Spiritus Sancti ope confidere licet, huiusmodi periculis se obiiciant.

Atque ut fidei periculum creat dognatum popularis tractatio, ita morum doctrina vulgari sermone explicata honestati minime conducit. Sane pro morali theologia, i. e. pro docta explanatione eorum quae de omnium ordinum omnisque condicionis officiis propriis Ecclesia docet, si communis quaedam descriptio honestatis ac perfectionis christianae *substituitur*, minus fortasse eiusmodi liber populi sermone scriptus obest morum integritati, sed idem sacerdotibus exiguae est utilitati. Aut igitur theologi nostri ea notitia carebunt, qua carere minime debent, aut libri morales erunt eiusmodi, ut inde illis semidoctis et per hos to-

tius populi multitudini pestis non levior quam ex spurcissimis poetis et improbissimis philosophis derivetur. Adhuc prius illud secuti nostri theologi non multum obfuerunt publicae honestati, iidem multum prodesse neglexerunt, cum solidae sacerdotum eruditioni minime consulerent.

Quae cum ita sint, utcunque istam rem consideraveris, *sive solidam expeditamque esse doctorum disputationem volueris, sive opera scriptaque omnium gentium communia ac perpetua, sive commercia cum externis frequentissima, sive civium veram utilitatem quam maximam, sive litterarum popularium adiumentum paratissimum et antiquorum honorem tutissimum :* nihil non gravissime demonstrabit pristinam consuetudinem vel retinendam vel revocandam esse. Non igitur caeca admiratio antiquorum conservandam esse latinae linguae consuetudinem persuasit, sed aliquando caeca illorum contemptio eam docuit reprehendere atque impugnare. Sed quoniam ut in omnibus fere rebus, sic in hac quoque non sine studio quodam iudicamus, postremo loco significare placet, unde sit illud, quo in alterutram partem impelli videamur. *Maistre* censuit latinam linguam ob eam causam sanctam videri omnibus debere, quod per eam ad nos humanitas propagata sit, vocatque eam humanitatis linguam. Quod si ita se habet, quanta ei ab homine catholico observantia debetur ! Nam et theologis nota sit oportet, quod studiorum suppeditat fontes, et nobis omnibus sancta atque cara, quod fidei thesaurum totum complectitur. Hac Ecclesia et semper et hodie de germana doctrina

pronuntiat, hac dubitationes dissolvit de moribus, hac leges ac decreta promulgat, hac mysteria peragit, hac universos toto orbe fideles alloquitur. Hoc igitur tamquam instrumento Spiritus Sanctus docet dirigitque mortales, nec superstitionis est profecto dicere vim quandam et gratiam ei ex eiusmodi usu derivari, qua ceterae careant omnes.

Quae lingua romani *populi* esse desiit, in sola *Ecclesia* mansit romana. Itaque Roma urbrs cum eam servat, id circo servat, quod caput est ac mater orbis christiani. Id si fieri sine aliqua patrii sermonis iniuria non potest, hanc *primi* ipsi patiuntur Romani, agnoscuntque Dei Providentiam eiusmodi linguam, quae nusquam sit popularis, in catholici orbis consuetudinem inducentis et instrumentum subministrantis omnium gentium christianarum pastoribus ac sacerdotibus, quo et inter sese et cum supremo pastore perpetuo coniungantur. Atque haec causa est, cur nobis quoque carissima atque augustissima videri debeat; ob eandem solam profecto Ecclesiae inimicis et est molesta et erit semper. Qui, cum esset summa ipsius linguae latinae praestantia et incredibilis ab ea ad litteras doctrinasque utilitas manaret : at Ecclesiae cum esset et ab Ecclesia conservaretur atque commendaretur, satius iudicarunt eam opprimere.

Lutherus eiusque asseclae quanto eam impetu ut cetera omnia, quae Roma allata erant vel Romam videbantur respicere, impugnaverint, nemo ignorat. Quamquam ille non prorsus id, quod spec-

tabat, consecutus est, mansitque in scholis etiam protestantium latinae linguae studium, usquedum in illa rerum omnium perturbatione, quam saepe significavimus, omnino valere ista haeresis coepit. Nam illa oppugnatio veterum institutorum, qua proximo saeculo exeunte litterarum omnium artiumque et scholarum ratio immutata est, fecit, ut latina quoque lingua ex scholis altioribus et scriptorum consuetudine exterminata contemneretur; quod ipsum nos catholici, protestantium secuti vestigia, imitati sumus. Ita illud, quod et universa antiquitas catholica censuit magnopere expedire, et summi pontifices, episcopi, doctores denique proximorum saeculorum maxime nobiles adversus haereticos studiosissime defenderunt, et theologicae saltem ceterarum terrarum scholae catholicae usque ad hanc aetatem servarunt : nos nescio quo lumine seducti recentis doctrinae, quo singulariter gloriamur, repudiavimus. Vidimus in nostris academiis, cum protestantes latine philologiam artesque liberales et laici latine artem medicinae iurisque scientiam traderent, contra theologos catholicos patrio sermone doctrinam dogmaticam, moralem, canonicam explicare. Opinantes autem nos longissime progressos esse, argumentis utimur a protestantibus acceptis, quibus illi morem antiquitatis catholicae vel potius ipsius Ecclesiae catholicae impugnant! Sed repetendum nobis hoc loco idem illud est, numquam id eventurum fuisse, nisi tristissima illa aetate catholici Germaniae prius reverentia atque observantia matris Ecclesiae spoliati essent : rectius enim profecto pietatis sensu, quam intellegentiae cognitio-

ne, quae propius abesse ab errore solet, ducti essent. Et quoniam pietate in dies maiore Ecclesiae alumni afficiuntur hodie ac moventur, sperare licet, tot rationibus persuasum iri, ut linguam Ecclesiae propriam retinendam esse censeant.

CONCLUDITUR DISPUTATIO.

Diximus ab initio, non eius rationis, quam secuti essent Patres Societatis Iesu, defensionem suscipi a nobis, sed omnino veterum et recentium scholarum comparationem, videmurque passim satis demonstrasse, mutationibus nuper factis non consuetudinem Iesuitarum aut proximi saeculi, sed *universae antiquitatis* institutum sublatum esse. Et sane nec inventam esse illam scholarum rationem a Iesuitis nec apud eos solos usurpatam fas est affirmare. Etenim si gymnasia et lycea spectantur, eadem summatim atque illa imprimis, quae nos dimisimus, observata videmus ab ipsis Graecis et Romanis. Quae a Patribus leniter immutata, sed deserta non sunt, a Benedictinis autem per omnes partes solis obeuntis divulgata. Quod ita intellegi volo : nulla aetate non praecipuas fuisse disciplinas grammaticam, rhetoricam, philosophiam, ad quas tantum ex aliis artibus doctrinisque adiungeretur, quantum illis integris liceret; semper ad illarum rationem tempora gradusque studiorum descripta fuisse ; semper magni factam esse artium praecepta, oratorias dictiones, dialecticas exercitationes. Iesuitae cum in palaestram descenderunt, et omnia et humanitatis studia novo quodam ardore excitata reppererunt. Quem alere conati sunt, at numquam eis venit in mentem, ut scholarum institutionem in diversam partem deflecterent. Theologiae quoque praeceptiones ad certam quandam rationem tradi pridem erant coeptae, atque illi parisianam potissimum consuetudinem imitati discipli-

narum numerum, praecipiendi modum, discentium exercitationes constituerunt.

Sane usu edocti postea omnem instituendi modum minutissimis legibus definierunt; at, si summatim iudicari oportet, aut nihil aut paullum a more declinarunt. Atque haec minute descripta scholarum ratio ipsorum est propria idque ita, ut iis *solis* accommodata esse videatur. Nam ut tot illis legibus ea docendi aequabilitas efficiatur, ad quam efficiendam inventae sunt, non modo ipsos magistros summa animorum consensione, obedientia, facilitate contemptis commodis studiisque propriis conglutinari, sed alios etiam nonnullos, qui magistri minime sint, ad opem eis ferendam paratos esse oportet. Quae ubi inveniantur, nisi in ordine aliquo religioso, universa coniuncta? Itaque non hoc quaerendum est, possitne tota studiorum ratio Societatis Iesu propria ad alias scholas transferri, sed summa eius capita, illa ipsa, inquam, quae non Iesuitae invenerunt, sed omnes populi humanitate culti tenuerunt.

Atque mirari licet hac ipsa aetate in *Borussia* primum esse intellectum, quam esset necesse quaedam longe gravissima ad veterem consuetudinem refingi, idque esse edicto publico pronuntiatum, certe singulare est. Confitentes enim audimus, eloquentiae institutionem usumque revocandum esse in gymnasia, si adulescentes vitae idoneos formari velimus; pristinam academiarum docendi consuetudinem resumendam esse, ut iuris studiosi et theologi recte instituantur denique; latinam linguam pueris usurpandam esse, ut solida ex antiquis scriptoribus doctrina percipi possit.

Quamquam dubitatio haec occurrit gravissima, sitne tam facilis, quam putant, ad morem pristinum reditus. Nam tota immutata ratione scholarum hodie diversae prorsus sunt opiniones, studia, consuetudines cum discipulorum tum praeceptorem, nec docendi modum antiquitatis sic ut veterum aliquem vestitum resumere licet. Prius enim quam hereditatem maiorum opesque saeculorum tanto cum contemptu abiicerent, deliberari oportuerat, num melius quidpiam reperire facile esset, et num redeundi ad veteres aeque atque discedendi ab iis via pateret.

Omninoque hoc esse caput errorum censendum est, quod omnem rem scholasticam ab *inexploratis rationibus* profecti permutarunt nec eam usu potissimum magistro constituendam esse cogitaverunt. Possunt enim de iis rebus, quae ad hanc deliberationem pertinent, opiniones et coniecturae quaedam communes esse, iudicium certum esse non potest nisi usu eoque et diuturno et multiplici edoctis. Similis est ratio institutorum legumque publicarum, quae summatim populorum temporumque omnium usu, singulatim patriae civiumque notitia usuque plurimo iudicantur. Quod idem *Burke*, vir acerrimo ingenio, initio illius perturbationis gallicae severissime monuerat. Et sane formae legitimae civitatum cum sexcentis ac mille institutis, moribus, usibus, studiis ita connexae sunt, ut eas vix quisquam, licet summa sit civili prudentia atque sapientia, undique complecti recteque aestimare possit. Quapropter etsi emendationibus locus esse semper potest, tamen, si quid immutandum esse tem-

porum varietas suadet, diuturna rerum cognitione et summa cautione opus est, ut quid expediat sensim intellegatur, intellectum paullatim ad vitae usum deducatur.

Quod autem hodie ii, qui se liberales ipsi vocant, omnem rerum publicarum constitutionem uno impetu evertere aggrediuntur, non modo imprudenter faciunt, verum etiam crudeliter atque atrociter. Nam saluti populorum saeva quadam temeritate illudunt, ut sua experiantur opinionum commenta ; quibus sanguinem fusum, scelera commissa, vitae condicionem omnem perturbatam referri ac tribui oportet. Eademne est ratio educationis atque institutionis? Errores enim et vitia in veterum scholarum consuetudine sibi visi sunt deprehendere ; quae cum pedetentim et caute corrigi oporteret, temere furentes sursum deorsum omnia verterunt et cum vagis opinionibus certum usum saeculorum commutarunt. Fit igitur opinionum periculum, iterantur conatus, nemini religioni est, saluti humanae societatis saeve illudere. Nam scholae uterunt conformatae, ut doctrina tradita, ut praeceptores instructi, ut ministri ecclesiastici ac civiles instituti, ita animorum culturae, ita etiam innocentiae, virtuti, fidei, religioni, ita denique civium paci, rerum ordini, saluti omnium erit consultum. Et tamen rationum scholarium in adulescentulis pericula fiunt atque «experimentum in anima vili » sumitur.

Unde autem haec tam inquieta cupiditas novitatum, e quibus opinionibus hae ipsae novitates natae sunt? Id supra identidem significavimus. Neque enim dubium est, quin haec perturbatio

cum turbis civilibus Galliae cumque litterarum turbis, si ita dici fas est, Germaniae coniuncta connexaque sit. In quibus quid aliud cernitur nisi *rebellio quaedam adversus Ecclesiam et religionem divinitus traditam?* Annon eodem tempore et ab eisdem viris et, si rem accurate consideres, eisdem prorsus rationibus, tum omnia instituta catholica everti et civitates populique ab Ecclesia avelli et omnes aequari negarique opiniones religiosae, tum adulescentiae institutio atque educatio ad novam formam immutari coeptae sunt? Respicientibus enim ea omnia, qnae adhuc dicta sunt, nonne falsae libertatis professio et illa doctrinae insolentia, quae est impietatis maxime propria, passim occurrunt? Libere explicari naturae indolem cum vellent, artis institutionem respuerunt; libere comparari veram honestatem cum iuberent, educationem atque omnem fere disciplinam sustulerunt; libere litteris studendum esse cum statuerent, severam scholarum consuetudinem et vigilantiam ex academiis amoverunt. Iam illa disciplinarum multiplicatio et partitio, illa contentio immoderata ingeniorum in scholis inferioribus illa philosophiae ostentatio incertaque evagatio, illa contemptio consuetudinis omnisque auctoritatis, quid aliud indicant nisi animorum inflatam superbiam doctrinaeque iactationem?

Ita factum est, ut, quae illa aetas probasset, cum insignius floreret res catholica, et quae toto orbe terrarum doctissimos fortissimosque Ecclesiae defensores instruxissent, et quae etiam litterarum florem catholicis nationibus, Italis, Gallis, Lusitanis, Hispanis, Polonis procreassent : ea nos abii-

ceremus institutisque ad res civiles religiosasque perturbandas excogitatis commutaremus. At qui tandem evenit, ut etiam catholici maximam partem fallerentur? An persuadere sibi potuerunt, materialismo illo gallico et idealismo germanico, e quibus extrema miseria ad omnem vitae condicionem derivata esset, scholis tamen salutem ac prosperitatem allatum iri? Sed ut permultos eorum, qui civilium rerum novitati magnopere studuerunt nescisse constat quid agerent, ita nonnulli rerum scholarium novitatem cupide consectati sunt, quo res tenderet, non animadvertentes. Est enim et in doctrina recenti et in nova scholarum ratione species illustris, visumque est posse plus eruditionis, salva catholica institutione atque educatione, comparari. Accedebat, quod pridem nos catholici soliti eramus fidem habere protestantibus, cum se insigni animorum cultu praestare gloriarentur. Quod tam saepe illi dictitarant, tanta nobis clades oppressis ordinibus religiosis erat illata, tantas nova philosophia novaeque litterae protestantium turbas exciverant, ut illis facile credentes modestissime cederemus. Humanitatis enim esse putabatur, et in doctrinae studio et in docendi ratione ad illos propius accedere; id quod nulla in re factum est cupidius quam in theologia. Illam sacrae doctrinae divisionem, illam exegesis atque historiae amplificationem, illam subtilitatis consectationem, illam latinae linguae et formae scholasticae despicientiam quis tandem nobiscum communicavit?

Postremo illam affero causam fortasse ultimam ac verissimam, quod singularem quandam et uni-

cam putant *huius aetatis gloriam doctrinae.* Quae cum in Gallia rerum civilium morumque omnium innovatione inaugurabatur, tum ne in Germania quidem quidquam audiebatur praeterquam novae cuiusdam inusitataeque doctrinae venditatio. Atque adeo — id quod incredibile dictu, sed idem verissimum est — non modo parentes catholici filios, verum etiam religiosae familiae, quae Societati Iesu superstites fuerunt, suos alumnos Regimontium miserunt, ubi ab illo principe philosophorum sapientiae arcanis initiarentur. Ex quo tempore illa persuasio, saeculi huius doctrinam in id fastigium adductam esse, quod veteres ne intuitu quidem oculorum e longinquo prospexissent, altioribus in dies radicibus defixa ita tenuit animos, ut non videamur nisi impulsu violento atque ipsa dextera Omnipotentis excuti e somno atque in rectam viam reduci posse. Quod autem ortis iam procellis undique concutimur, et omnipotentiae est et misericordiae. Quo enim evidentius et Ecclesiae oppugnatio cernitur et novae philosophiae fructus deprehenduntur, eo ardentius Spiritus Sancti igne excitatum fidei studium et pietatis aemulatio et Ecclesiae amor in catholicis effervescit. Atque hoc quasi pignus et indicium certum habemus, fore ut pugnarum fortasse acerrimarum contentione vincat tamen iterum apud nos vis veritatis, et illae potestates tenebrarum, quae lucis se angelos simulantes tot hominum animos fefellerunt, a nobis propulsentur. Quarum fraudibus exsoluti ac plena luce fidei catholicae collustrati adulescentiam quoque nostram ad veram sapientiam et Dei timorem informare noverimus.

ERRATA

Nescio quo typographorum errore sua interpreti concessa non est corrigendi facultas; nihil relinquitur igitur, nisi ut præcipua errata notem.

P.	63	v.	2	s. ab imo	lege *Victorino.*
»	82	»	15	a summo	» *mature imprimenda.*
»	85	»	5	» »	» *idoneis.*
»	89	»	9	» »	» φιλοσοφίαν.
»	90	»	8	ab imo	» *condicione.*
»	91	»	13	» »	» *gloriæ.*
»	96	»	2	a summo	» *quam.*
»	»	»	8	ab imo	» *docendi.*
»	»	»	4	» »	» *scholis.*
»	114	»	10	» »	» *optimi.*
»	115	»	10	a summo	» *abhinc.*
»	»	»	17	» »	» *præcepissent.*
»	126	»	15	» »	» dele comma post *antiqua.*
»	128	»	12	» »	» lege *Lamennais.*
»	129	»	14	» »	» pone comma post *Jesuitas.*
»	131	»	4	ab imo	» lege *erroris.*
»	136	»	1	ab summo	» *repeterent.*
»	»	»	10	» »	» pone signum interrogationis post *doctrinarum.*
»	143	»	11	» »	» lege *Caietani.*
»	144	»	10	» »	» *coniungebantur.*
»	»	»	2	ab imo	» *christianis.*
»	152	»	ultimo		» *loco Borussiæ.*
»	154	»	10	ab imo	» *fuit.*
»	»	»	4	» »	» *iudicandi.*
»	157	»	9	» »	» *formatæ sunt.*
»	161	»	20	» »	» *eloqui*
»	»	»	12	» »	» *sed id.*
»	162	»	12	» »	» *ecclesiasticis.*
»	164	»	6	a summo	» *hæreticos.*
»	167	»	7	ab imo	» *eos.*
»	168	»	13	» »	» *dogmatum.*
»	170	»	10	a summo	» *urbs.*
»	»	»	11	» »	» *idcirco.*
»	175	»	6	» »	» *præceptorum.*
»	»	»	7	» »	» *veterem.*
»	176	»	12	ab imo	» *ut erunt.*

SUMMA RERUM

pages

Lectoribus S. VII

I. De gymnasiis lyceisque generatim 5

II. De disciplinarum doctoribus 29

III. De gentilium scriptorum libris lectitandis 57

IV. De universitatibus litterarum. 96

V. Philosophiae pristinae cum recenti comparatio . . . 120

VI. Latinae linguae consuetudinem esse revocandam . . . 144

Concluditur disputatio 169

Imprimerie de l'Ouest, A. NÉZAN, Mayenne.

27059